# SANITATIS TVENDÆ METHODVS, PER D. GEORGIUM Pictoriũ Vuillinganũ, superioris Alsatiæ archiatrum, carmine elegiaco conscripta.

PROPHYLATIA, HOC EST DE *secunda ualetudine tuenda, Dioclis Caristij: per eundem D. Georgium archiatrum Scholijs illustrata.*

HIPPOCRATIS COI EPISTOLA ad regem Ptolemęum de uera hominis formatione, & amissæ sanitatis recuperatione, per Ant. Codrum Vrceum Florentinum carmine heroico uersa.

ARNOLDI CATALANI RE*gimen pro sanitate conseruanda.*

VNA CVM RERVM ET VERBORVM Indice locupletissimo.

BASILEÆ.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

## ILLVSTRI BARONI AC DOMINO, DOMINO IOANNI

*Georgio Pougartnero, ab Pougarten, domino in Hohenschwangen, Embach & Kirnberg, sacræ Cæsareæ Maiestatis consiliario, domino suo clementi, Georgius Pictorius Willinganus doctor Medicus s. D.*

CONTIGIT quòd mensibus fermè decē abactis, ex arduo itinere per Hercineam syluā eques fessus, & esuriens, ad hospitem uallarem, & fanaticum nimium opsologum spontè diuertissem, atq; per conuiuas, qui mensæ patrio ritu adornatæ aderāt, uocatus assedissem: ubi post fercula aliquot, is hospes uelut mensæ parergon, ex uitulo pulmonem minutum incisum, & puluere nescio quo insipido conspersum attulit, triumphum sibi egisse uisus: qūi cibum adeò palmariū, & cedro dignū suis conuiuis adposuisset. inter quos nobilis quidam dextrum meum latus claudens, dixit ad me: Domine mi, (nam mihi per annos cōplures fami-

liaris

liaris fuerat) quid medici de hoc inci-
ſo pulmone in ſanitatis area ſentiunt?
Ego tali maximè delector, & uix eſt a-
lius cibus, quem pluris in popinario
luxu faciã. Ad quæ breuibus reſpon
deo, tamẽ ei non intellectis. Inquam
enim, ſcirpũ philoſophus ſoluit, quan
do orta principiò atteſtari monet.
Qui cõtrà inqt, hæc philoſophi aſſer
ta nõ intelligo: ſed oraculo mihi ſunt,
quæ rogo apertius dixeris. Vbi no-
dum ita ſoluo, pulmo cibus eſt, uelut
inter omnes medicos conuenit, ſan-
guinem craſſa pituita inficiens: qua-
propter hunc cibum, uel hoc minu-
tal carneum, etiam tale eſſe, nõ eſt qui
dubitet, & inſalubre. Quibus audi-
tis, onocephalus ille hoſpes, Bionico
certè rictu, Non eſt (effutit) cõuiuæ,
quòd medicos ſcatophagos audia-
tis, quicquid in buccam illis uenerit
quęrenti: ut magni habeantur, centu-
riatim reſpondent: arbitrãtur cothur-
natum patraſſe facinus, ſi ab hoc uel
alio cibo conuiuas deterreant, quo ſo
li ueſcantur. Ac ſtatim ſe ad nobilem

istum, qui nodum proposuerat, conuertens, genu flexo, & capite aperto, ut gratiam uenetur, sic inquit, Testis esse uolo omni exceptione maior, quemuis cibum esse salubrem, & naturæ multùm proficuũ, si ad palatum faciat, & eo delectetur. Parens meus pedibus subinde gaudebat bouillis, quos etiamnum semicrudos quãdoque deuorabat, cibum medicis quoque insalubrem, sed illæsis sensibus, ac uegeto corpore, centum numerauit autumnos. Si dixerint, sanitatem id impedit, ad æquilibrium offerẽtes, ego non gry fecerim, sed quantum placet capio: minutal igitur hoc comedite, nihil de sanguine curantes. Ad hæc ego uelut piscis obmutui. Nam laterem nolui lauare, neq; consultum inter tot asidẽtes arbitrabar, oleũ adiecisse camino: si enim saltem uerbulum respondissem, pugnis & calcibus (quod dicitur) sibi preco fuisset, mihi aduersarius. Sic tamen uolutabam animo meo, Hospes si mentis tuæ stuporem, ignorantiæ tuæ labem

bem, & procacis linguæ temeritatem
agnosceres, sentires nimirum aliter:
sicq; teipsum tuæ fanaticæ professio-
nis inter tot assidētes iudicares pro-
ditorem, eos uerissimè haberes in pre
cio, quos cœlestis concionator in Ecclesi. 38.
necessitate honorandos monet. Ac
non frustra rationem uictus per Mo-
sen hunc Iudæis præscripsisse crede-
res, sine cuius afflatu, Cimmerijs offu
si tenebris caligamus altius. Tamen
ne mireris, Baro illustriss. quòd tam
prolixum de hoc triobolari hospite fe
cerim parergon, rem sic accipe: Dum
omnia salubria & sana pro uulgari fer
mè omnium plebeiorum sentētia uo
luit, quæ ad palatum faciant, & po-
pinarijs delicijs adscribenda ueniūt,
uisum est, mea utcunque in diuersum
occinente uictus ratione, ab eo hospi
te diuersum sentire, & carmine licet
parum elimato, id ostendere, quod
Dei organum Ecclesiasticus his uer- Cap. 37.
bis suæ concionis ostendit: Fili, noli
auidus esse in omni epulatione, & nō
te effundas super omnem escam, in a-

liquibus enim erit infirmitas. Hancq́
tuæ dominationi clientulus uelut ἐπί-
μετρον, eorum quæ prius obtuli offer-
re, dicare, donare, aut dedicare po-
tius. Tamen non quòd salubrium &
insalubriũ te duxerim ignarũ, quem
omnium eorum strenuissimũ esse fa-
cilè constat, quę medicis primogenia
ut naturæ rerum opificis ingeniosis-
simæ arcana dicuntur, quem doctum
nouimus, solertem, prudentem, & ita
uirtutum omnium mineram, stema-
tisq́ origine sic nobilẽ & sapientem,
ut planè id Aristotelis de Alexandro
elogium in te conuenire uideatur,
quando inquit: Cùm dubia res præ-
stò est, Alexander sapientissimus ha-
betur: quando res consilio opus ha-
bet, consultissimus: cùm dignis prę-
mium exponendum, liberalissimus:
quando confligendum, pugnacissi-
mus: etsi animaduertendum, clemen
tissimus. Sed ideo tãtùm, ut in tuam
dominationem animum meum osten
dam benè conantem, atque beneuo-
lum. Scirem profectò tantum heroa,

re non tam exigua, muneris uice grauandum, ſi non id criſtas mihi erigeret, animumq́; pergendum incitaret, quod Diocles Cariſtius maximo regi Antigono eiuſdem cæræ prophylaticam addicauit epiſtolam. Hippocrates Cous omnium medicorũ princeps, etiam ſimilem regi Ptolemæo, Et Arnoldus Catalanus, uir ex aſſe philoſophus, unam regi Aragoniæ potentiſsimo. Offero igitur, Baro illuſtriſsime, & Mœcenas impẽdio magis obſeruande, dedicoq́; tuæ dominationi hanc meam utcunq; elegãter, tamen Cleãtheo labore ſcriptã uictus rationem, cum meis in Dioclem Cariſtiũ nõ omnino ſcholijs pœnitẽdis: adhærẽte Hippocratis epiſtola. Iſtæc omnia pro tuo cãdore amplectere, aduerſus liuidolorũ reflatus defende, & ſucciſiuis horulis, ſi placet lege. dabit fortaſsis melior quandoq; genius, ut ampliora mittamus. Valeat dominatio tua ꝑpetuò incolumis, ut diutius ſuis ſuęq; ditioni præeſſe queat. Datum Enſishemij, Anno ſalutis 1560. die menſis Septembris nona.

CANDIDO LECTORI GEORgius Pictorius doctor medicus S. D.

EN candide lector, damus hîc in medium uictus rationem, carmine, non Sophoclea phraſi ſcriptum, ſed cheli utcunq; humi ſerpente exaratum: rogantes ut ſusq; deq; feras, hoc eſt, non magnopere cures, ſi unum aut alterum uerſum uel Martialis, Ouidij, Fierę, ſeu aliorũ poetarum immixtum adpoſuimus: fatemur factum, ne furti nos redarguas. Cæterùm ſi nigra faba interlegẽdum quædam notanda ſenſeris, noli eſſe Ariſtarchus nimium ſupercilio grauis, ſed Mitio, qui pro candore ſuo quælibet, etiam leuiſsima, pius ſufferat. Vale humaniſſime Lector.

# SANITATIS TVENDÆ METHODVS, IN GRATIAM omnium, qui minus exercentur, tam ex optimis autoribus, quàm ratione ac fideli experientia, carmine elegiaco per D. Georgium Pictorium Willinganum, doctorem Medicum, & apud Cæsaream curiam Ensishemij superioris Alsatiæ archiatrum, diligentissimè in unum conscripta.

## DE AERE PRIMA RE NON naturali. *Caput I.*

*Bis ternas numerat, genuit quē Corduba princeps,*
*Res, sine quîs sanus uiuere nemo potest.*
*Harum prima datur circundans corporis artus*
*Aër, qui reliquas uincere quippe solet.*

Canon.

*Affectans igitur multos numerare Decembres.*
*Aëris attentet cum ratione situm.*

Aër frigidus uitandus.

*Atq; nimis gelidum fugiat, dum torpida membra*
*Hic facit, oblædens pectoris ima quoq;.*

Et calidus.

*Et calidum Veneris, seu Martis sydere tactum,*
*Debilitas talis, nanq; diaphoresi.*

Temperatus eligendus.

*Eligat ast medium, nullis fœtoribus auctum*
*Stagna, lacusq; putres, stercora quiq; cauet.*

Aër malus corrigendus.

*Excessum poterit, si non uitare, solerter*
*Corrigat hunc artis conlimitata manus.*

Qua arte corrigendus.

*Et gelidus quum sit, tepeat prunis sine fumo.*
*Si caleat, mutent hunc rosa, mirtha, salix.*

Qua arte quoq; fœtidus.

*Siq; paludoso fimo, seu stercore fœtens,*
*Ardens Vulcanus noxia damna leuat.*

Aër bonus & malus.

*Exin quisq; notat, poterit quòd noxius aër*
*Damna dare, & saluus commoda multa quoq;.*

## DE CIBO ET POTV, SECVNDA RE nõn naturali: in primis tamen de canonibus cibando notandis decem. Caput II.

Canon primus.

*Non est mandendum sano, nisi sciuerit antè*
*Ingestos uentrem deuacuasse cibos.*
*Nam damnum credat, quo uix præsentius angit,*
*Quando indigestis additur esca cibis.*

Fames cauenda.

*Neq; cibum tardet, dum uult curasse salutem,*
*Nan uacuus uenter phlegmata crassa trahit.*

Cibus bene masticandus.

*Si bene comminuunt dentes modò fercula sani,*
*Dixerit immensum concelebrasse bonum.*

Qui cibi præmittendi.

*Escas perfaciles coctu præmittere cautus*
*Debet, sed duras ultima mensa habeat.*

Cibi delectus habendus.

*Non comedat quicquid cupidi uis improba suadet*
*Ventris, sed debet præ limitare cibos.*

Non diu ad mensam sedendum.

*Duplicium dirum præstat, semperq; cauendum,*

In mensa longam continuasse moram.

Quando parcè sumenda cœna.

Cœnam continuet paruam, cùm Syrius ardet.
Nox istud signat nam breuitate sua.

Quando largè sumenda.

Maiorem sunto sole ingrediente Sagittas,
Quum nox sublustris longior esse solet.

Quid ante & post cibum faciet.

Ante cibum anisum, confecta cydonia prosunt
Saccaro, post mensam, caseus atq; recens.

Dentium habenda ratio.

Si cupias dentes saluos, tu collue lympha
Sæpe etiam gelida, maximè post epulas.

## DE PANE. Cap. III.

Non minus Cereris calidum permittat ad escas
Sanus, fermento sed bene congenitum.

De pane opiro.

Est quidem opirus facilis laborantibus, atq;
Proritat is aluum, nec bene membra fouet.

Panis de simila.

Furfure sed mundus sanos hic pascit & ægros.
Ac faciles aditus membra ad alenda trahit.

## DE CARNIBVS QVADRVPEDVM. Cap. IIII.

Quæ caro eligenda.

Nutritiua caro est, lateris sed portio dextri
Plus confert mensæ, gratior estq; cibus.

De pingui & tosta.

Exitus est facilis pingui, sed nutrit edentem

*Parum, tosta quidem uix benè digeritur.*

De bubula & caprina.

*Bos reddit duram, cunctis quos cocta polenta*
*Nutrit proficuam, sed caper inutilem.*

De carne suilla.

*Sus calidam & udam, multum uentriq; rebellem,*
*Ni iuuenis fuerit, quæ solet esse bona.*

De hœdina & agnina.

*Hœdus fert primas, agni magis humida semper*
*Est caro, sed stomacho fit leuis ista bono.*

De ueruecina.

*Veruex qui paucos uiduatus testibus annos*
*Enumerat, mensæ conuenit ecce satis.*

De uitulina.

*Exornet uitulus magnatum prandia fortis*
*Vuida, cui sapido iuncta tepore caro est.*

De aprina.

*Dat aper in hyemem catulis modò captus edacem*
*Carnem, quam condit nigrior ecce piper.*

De capreolina.

*Succi est optati iuuenis capreolus, atq;*
*Fomentum optatum dat maculosa fera.*

De damulina.

*Damula iam primùm matris ab ubere rapta,*
*Est lautis semper gloria magna cibis.*

De bubulina.

*Bubulus est minax inter pulmenta Luculli.*
*Non teneat laudem, sed iuga dira ferat.*

De ceruina.

*Si timeas nigram bilem, uitasse memento*

Alipedem

*Alipedem ceruum, maximè si uetulus.*

De leporina.

*Impiger atq; lepus sanguen subinde comestus,*
*Furua equidem bili commaculare solet.*

De ursina.

*Melliuorax ursus capræ in star semper olentis*
*Producit carnem, perniciosa fera.*

De cuniculina.

*Gaudet in effoßis habitare cuniculus antris.*
*Fercula qui præbet fermè imitata gluten.*

De carne herinacei.

*Est stomachum pascens herinaceus, ilia mollit:*
*Conuenit ictericis, laxaq; membra iuuat.*

De gliris carne.

*Glis hiemem totam dormit, sed capta nigella,*
*Interdicta gulæ est, noxia nanq; uorat.*

Lupi caro.

*Atq; lupos Zephyri populus transmittit in orbem,*
*Mensæ qui truces commoda nulla ferunt.*

Castoris caro.

*Amphibius castor gulosos condecet omnes,*
*Nanq; nihil sanos corroborasse potest.*

Lyncis caro.

*Lyncas mammosas Nilotica terra tuetur,*
*Ex illis nullus prandia certè parat.*

## DE ANIMALIVM QVADRVpedum partibus. Cap. V.

*Quadrupedũ effodias oculos, cerebella uolucrum,*
*Vda nimis, calidum ni piper addis, erunt,*

De collo & iecore.

*Colla iecurq́; calent, collum sed fortius humet*
*Gallina, anser, anas, mollius hepar habent.*

De pedibus & alis.

*Pes placet anterior, sed non minus ala probatur:*
*Inest nanq; illis maxima temperies.*

De renibus, pulmone, uentre & corde.

*Nos uolucrum aëreos renes laudare conamur,*
*Pulmonem, uentres, siccaq́; corda nihil.*

Et de alijs uolatilium partibus.

*Pectore anas, teneris alis gallina probatur:*
*Anseris his tumidum, si sapis, adde iecur.*

## DE CANIBVS VOLATILIVM. Cap. VI.

De galli carne.

*Gallus qui Veneris furtiua incendia tractat,*
*Ingratam carnem continet ac aridam.*

De carne caponis.

*Ast Cybeles gallus, uiduatus testibus, iste*
*En pariet turpi fercula prima gulæ.*

De carne gallinæ.

*Inter cristatas ouorum certè parentes*
*Nigra tenet primas, humiditate bona.*

De carne anseris.

*Et calidam & siccam reddit fluuiatilis anser*
*Carnem, quam uentri credimus esse malam.*

Anatis caro.

*Anseribus magis ardet anas, præstantior alis*
*Narratur, stomachum sed grauat ipsa bonum.*

De eadem.

*Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantùm*

Et cer-

*Et ceruice sapit, cætera redde coco.*

De carne columbi.

*Et stomacho ignito multùm nocet ecce columba.*
*Poplitibusq; ægris, ni iuuenis fuerit.*

Turturis caro.

*Horreat & mensas turtur cythareius ales.*
*Nam medicas artes condecorasse solet.*

Palumbi torquati caro.

*Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbi.*
*Non edat hanc uolucrem, qui cupit esse salax.*

Perdicis caro.

*Et regum lautas ornat Sodomitica perdix*
*Cœnas, quæ didicit prima fouere iecur.*

Phasiani caro.

*Atq; phasim cunctas uolucres superare putamus:*
*Nam leuis est stomacho, gratior estq; cibus.*

Ciconiæ caro.

*Est in Germanos concepta ciconia luxus.*
*Ipsa licet pascat, qui nocuêre cibos.*

De ibidis carne.

*Sufficit & meriti, sat est quòd mantica mollis*
*Ibidis inuentum est, prandia fugat auis.*

De pauone.

*Antonius laudat cerebrum, Vitellius atq;*
*Aulus pauonis, sed Clepatra quoq;.*

Gruis caro.

*Grus cum Pygmeis certet, deseratq; culinas,*
*In se nanq; tenet fercula nulla gulæ.*

De carne alaudæ.

*Et galeata quidem est bona, si præpinguis alauda,*

*Datq; salutiferas ad tua pocla dapes.*

De turdi carne.

*Igneus ardor inest, languentibus ægris*
*Ingratus, gratum quem uerò bacca facit.*

Meruli caro.

*Est pingui merulo maior, mihi gloria credas*
*Quàm turdo, carnem nam tenet ipse leuem.*

Cothurnicis caro.

*Cothurnix quamuis sit in regalibus ingeus*
*Delicium, tamen est sensibus ipsa mala.*

De ficedula.

*Ficedulæ sine & uescantur dulcibus uuis,*
*Aut raptæ cantent stridula uoce melos.*

De passere.

*Ardet in sicco passer, durißimus ales:*
*Si cupis esse salax, is cerebella dabit.*

De luscinia.

*Artis contextum cantat luscinia pernox:*
*Sit igitur cantrix regibus ipsa suis.*

De hyrundine.

*Vernalis uolucris nidos suspendit hyrundo*
*Ad nos, sed fugiat prandia nostra procul.*

De psitaco.

*Psitacus ille plagæ uiridis regnator Eoæ,*
*Condidicit per se dicere Cæsar aue.*

Caro sturni.

*Auditas didicit sturnus modò reddere uoces*
*Igniti & nocui, sed mihi crede cibi est.*

De carne corui.

*Et coruus nescit magnatum uisere cœnas,*

In cruce

*In cruce nam quærit prandia lauta sibi.*

De cornicis carne.

*Quæq; refert uiuax iterata uocabula cornix,*
*Nec satiat raucam carnibus ecce gulam.*

De uulture.

*Est uolucris, uultur dicunt, quam nosse cadauer*
*Tres luces, præbet fercula nulla tibi.*

De bubone.

*Ignauus bubo dirum mortalibus omen,*
*Mandat in umbrosis fœtida quæq; locis.*

De carne mergi.

*Mergus anas dictus, quòd se mergendo cibare*
*Cònsueuit, carnes anseris instar habet.*

De conficiendo sapore ad carnes ex herbis.

*Sume apium, porrum, coriandrum, semen aneti*
*Cum tostis nucis, adde selma, thimum.*

## QVIBVS AROMATIBVS PRO sanitate conseruanda utendum. Cap. VII.

De cinamomo.

*Cinama iactat Arabs multùm redolantia, nanq;*
*Et iecur & renes, putreq; pectus alunt,*
*Tædia matricis tollunt, tremulosq; lacertos*
*Confortant, uentrem & corroborare queunt.*

De pipere.

*Est calidum in quarto siccum piper atq; secundo,*
*Quòd neruos siccat, phlegmata quodq; trahit.*
*Quodq; acuit stomachũ algentẽ, quòd tormina uen*
*Tollit: sed caueas, si tibi bilis inest. (tris*

De croco.

*Si mala sunt capiti segnes turbantia somnos,*
*Dant rubei flores pharmaca magna croci:*
*Atq; croco gaudet uenter, seu tristia corda,*
*Hocq́; ede, si risus expetis assiduos.*

De zinzibere.

*Ignitum stomacho algenti fit zinziber ingens*
*Antidotum, siccat phlegmata crassa simul:*
*Hoc odisse Venus potuit, sed soluere uentrem*
*Vsq; solet, condit zinziber atq; dapes.*

De nuce muscata.

*Glandes muscatas fert India certè rubentes,*
*Vesica his patula est, has fluida aluus amat:*
*Et stomacho, iecori, uiciato spleni, & ocellis*
*Subueniunt, glandes & caput ecce iuuant.*

Gariophilum.

*Deiectum stomachum reparãt gariophila multum,*
*Æthiopes donant quæ tibi larga manu:*
*Hæc bene calfaciunt præcordia, tormina uentris,*
*Excludunt flatus, quum malè uulua tumet.*

## DE SEMINIBVS ET BACCIS quæ ars culinaria pro sanitate obseruat. Cap. VIII.

Cuminum.

*Obseruat sanus campestria grana cumini,*
*Nam stomachum & lumbos fortificare queunt:*
*Atq; remollitum subducere certè lapillum*
*Vrinæ norunt, trita sed exhibita.*

Fœniculum.

*Et maratri semen fœtæ cum lacte capellæ*

*Absum-*

*Absumptum, uentris turgida quæq; leuat,*
*Cunctantisq; moras dissoluere protinus alui*
*Fertur, & elumbis comminuit lapidem.*

Anisum.

*Et facit anisi semen, si caumate languet*
*Cor sanum, mansum pellit & iliacam,*
*Cum uino tepido compescit tormina uentris,*
*Hoc guttur raucum comprobat atq; nimis.*

Coriandrum.

*Frigida uis multùm coriandri dicitur esse,*
*A cœna sumptum hoc conuenit ecce satis:*
*Xenocrates scripsit totidem cessare diebus*
*Menstrua quot mulier antea grana uorat.*

Papauer.

*Sperma cum uino bibitumq; papaueris albi*
*Dicitur hoc fluxus stringere posse malos:*
*Somnum dat facilem semen, compescit iniquam*
*Tußim, sed lædit turgidulos oculos.*

Sinapis.

*Exacuit sensus, purgat quoq; phlegma sinapis,*
*Sternutamentis si modò iuncta fuit:*
*Semina, Pythagoras inter quæ maxima dixit,*
*Extulit hæc multùm, dummodo parcè sumas.*

De iuniperi baccis.

*Iuniperus baccas profert, tutißima cunctis*
*Pharmaca, gustarunt toxica quí ue uirus.*

De baccis lauri.

*Menstrua subducunt, lapidemq; epota resoluunt*
*Fructus laurini, pectora mundificant.*

## DE HERBIS PRO SANITATE usualibus. Cap. IX.

### De mentha.

*Vim calidam siccamq́; gradu fert mentha secundo,*
*Quam stomachus languẽs maximè adesse cupit:*
*Et quam concretum lac soluere dicimus omne*
*In mammis duris si superimposita est.*

### De ruta.

*Ruta quidem occultum fertur resecare uenenum.*
*Quod Mithridates ponticus esse docet.*
*Hoc neruos, schiasimq́; iuuat, febribusq́; medetur,*
*Et confert luscis maximè luminibus.*

### De lactuca.

*Vtilis est stomacho lactuca, remollit & aluum,*
*Candidulum ac semen somnia uana lenit:*
*Tempore quum uernat, uel quum bene Syrius ardet*
*Gatior est eadem, sed Venus ipsa perit.*

### De spinachia.

*Spinachiam comedas si mollem, proijce primum*
*Ius, stomacho poterit sic minus esse mala.*
*Hæc lenit in primis multùm præcordia dura,*
*Et fert clamosis commoda pleureticis.*

### De caule.

*Caulis Romana, Græcorum braßica lingua*
*Dicitur, hæc uentris posse lenire moram:*
*Atq; omnes narrant caligine lumina tergi*
*Eius qui caulis comedit ecce comas.*

### De capare.

*Caparis & folio, flore, & lactare palatum*
*Dicitur, & splenem posse iuuare satis:*

Atq;

Atq; iecur clausum ualeat reserare potenter,
Vesicæ & patulas reddere posse uias.

De boragine.

Herbula quam Græci dixerunt mellisophilon
Borragini nostri, dentibus antidotum est,
Lumina purgari caligine Plinius inquit,
Illius succo perlita si fuerint.

De saluia.

Saluia miscetur uino, potata querelis
Prodest sic iecoris, menstrua sicq; lenit.
Trita uenenatos iuuat & superaddita morsus,
Estq; salus tremulis saluia poplitibus.

De sansuco.

Exornat quoq; sansucus perfectè culinas.
Herba quidem mollis, sed bene grata cibis.
Quæ tumidis reserat multùm spiracula uentis,
Hanc cui sit matrix ægra puella colat.

De serpillo.

Serpillum miscere cibis languentibus est mos,
Compescit uentris tormina nanq; mala,
Ægroti capitis solet & sedare dolores,
Vrinas ducit, menstrua purgat item.

De bethonica.

Bethonica immodicum uentris sedare dolorem
Dicitur, à cœna si modò sumpta sint:
Plinius hanc inquit, qui secum gesserit herbam,
Illi nec poterunt ulla uenena dari.

De arthemisia.

Ad mensas reuocant arthemim certè secundas
Fœmineas, etenim menstrua cocta ducit:

Vrinam potata ciet, lapidesq; repellit,
Pellit abortiuum subdita fœmoribus.

De marrubio.

Marrubij uarios compescit potio morbos
Pectoris, hoc tußim sanat, & asmaticos:
Accelerat partus duros, pellitq; secundas,
Et iuuat ictericos, uulnera mundificat.

De portulaca.

Pœonias artes si uis negligere, spernas
Andrachnen, stomacho quæ solet esse mala:
Feruorem solis tamen hæc comesta nocere
Non sinit æstiuum, Plinius ut docuit.

De absinthio.

Constat terribiles absinthia posse dolores
Pellere, citrinos ecce potata iuuant:
Atq; iuuant stomachum mira uirtute solutum,
Anginam pellunt, fastidiumq; leuant.

De aneto.

Aßiduè bibitum uisum nocet, & genitale
Claudit iter, uentri nec bene conueniet:
Vlcera sed fertur membri curare uirilis,
Et dare quòd nutrix munera lactis habet.

De eruca.

Si condituris cocus hanc admisceat herbam
Erucam, multùm præstat aroma cibis.
In Venerem lentos roborat, quæ certè priapos,
Quæ tußim pellit, cùm bene mansa fuit.

De ra-

## DE RADICIBVS ET TVBERIBVS mensæ adhibendis. Cap. X.

### De raphano.

*Raphanus in dentes, caput, & bona lumina sæuit.*
*Atq; hinc uentriculus nauseat aßiduè*
*Hic facit, ac olidos uentris quoq; maximè bombos,*
*Estq; potens uirus pellere lætiferum.*

### De rapa.

*Rapa quidem calida est, & corpus reddere potest*
*Obœsum, felix humiditate sua:*
*Ast uentris bombos, nisi uitare laboras,*
*Adponas rapis pinguia iura tuis.*

### De cepis.

*Fellitis non esse bonas (ait ipse Galenus)*
*Cepas, phlegmaticis sed bene proficuas,*
*Affirmant omnes mansas inferre saporem,*
*Et tremulis membris reddere posse robur.*

### De allio.

*Allia qui manè ieiuno sumpserit ore,*
*Hunc infecta nequit lædere lympha quidem:*
*Pulmonis uarias coctum cum lacte querelas*
*Proscribit tumidos, & iuuat hydropicos:*
*Radicem betæ comedas super igne perustam,*
*Non animam reddent allia sumpta grauem.*

### De tuberibus.

*Insint conuiuijs madentia tubera rore*
*Mixta sit in nostris, ut Venus ipsa iocis:*
*Sunt faciles stomacho, sunt adducentia chymos*
*Vsque bonos addas, si piper in copia.*

De fungo.

*Lepra quidem terræ est, credas mihi, fungus, & iste*
*Vrinæ uelox impedit ecce uias,*
*Et facit, ut sanguis corruptus corpora tangat*
*Vdus qui nimium febricitare docet.*

## DE LEGVMINIBVS AD CVLTVM popinarium conferentibus. Cap. XI.

CANON.

*Omnia (crede mihi) flatuosa legumina semper*
*Cortice deposito sunt magis apta tamen.*

De faba.

*Humorem crassum fabas progignere constat:*
*Hanc fuge si placidæ somnia noctis amas.*

De cicere.

*Cortice postposito cicer en iecur atq; lienem,*
*Vesicam & reserat, sed facit hoc Venerem.*

Lens.

*Datq; melācholicos tibi lens, mihi cæde, liquores,*
*Et neruos duros reddere quippe potest.*

De lupino.

*Lumbricis mors est, pleno iecori atq; lupinus,*
*Et præsentis opis renibus esse potest.*

De oriza.

*Candida si iungas studiosè & amygdala lacti,*
*Ad mensam lautam tunc & oriza facit.*

De milijs.

*Atq; melancholicos faciunt in corpore rores,*
*Vendicat hæc uilis, sed sibi rusticitas.*

De auena.

*Scribit Oribazius Iuliani Cæsaris altus*
*Autor, ut auenas qui malè uiuit edat.*

## DE LACTE, BVTYRO, CASEO, sale, oleo oliuarum, melle & ouis. Cap. XII.

*Lac nocuum capiti est, putridis & febribus, istud*
*Sed præstat capræ, pòst ouis, inde bouis.*

De butyro.

*Lac dabit aërei tibi condimenta butyri,*
*Quod facit ut sapiant fercula cuncta tibi.*

De caseo.

*Caseus ante cibum confert, si defluat aluus,*
*Si constringatur, terminet ille dapes.*

De eodem.

*Caseus ad fundum stomachi bene fercula trudit,*
*Vim digestiuam nec minus ille iuuat.*

De eodem.

*Si nouus impinguat, siccat uetus, attamen ambo*
*Et capiti & stomacho, pectoribusq; nocent.*

De eodem.

*Si stomachus languet, uel si minus appetit ille,*
*Fit gratus stomacho, conciliatq; cibos.*

De sale.

*Exornat regum mensas sal, cætera uincit*
*Condimenta, cibos sal facit esse bonos.*

De oleo oliuarum.

*Absq; oleo lactuca quidem condita, saporem*
*Insipidum præbet, mollit & hoc stomachum.*

De melle.

*Pectoribus, stomacho frigenti, aptißima mella*
*Flaua quidem, ut narrant, sunt magis apta gulæ.*

De ouis quæ optima.

*Regula presbyteri iubet hoc pro lege teneri,*

*Quòd bona sunt oua, paruula, longa, noua.*

Oua tremula.

*Mollia pectus alunt, tußim sedantia raucam,*
*At durata time, nec diuturna placent.*

## DE SECVNDARVM MENSArum apparatu. Cap. XIII.

De malis.

*Corda iuuant flammis agitata, at noxia uentri*
*Mala, quidem neruis hæc nocuisse patet.*

De piris.

*Et uacuum uĕtrem astringunt modò pira, repletum*
*Soluunt, iliacam sed peperisse ualent.*

De persicis.

*Persica sicca tenent uentrem, quæ mollia soluunt,*
*Ardenti stomacho sunt bene fida eadem.*

De prunis damascenis.

*Prunaq; conueniunt, quæ mittit clara Damascus,*
*Nanq; solent duri soluere uentris onus.*

De prunis.

*Astrictam soluunt aluum, sed pruna reposcunt,*
*Prandia prima quidem, dum calor esse solet.*

Cerasa.

*Acria confortant stomachum, si sole perusta*
*Cerasa, Lucullus quæ intulit Italiæ.*

De ficu.

*Si noua sit ficus, nocua est: nam fluxibus apta*
*Narratur, siccæ ni sociata nuci est.*

Cydonia.

*Ad finem mensæ confecta cydonia prosunt,*
*Nam stomachi claudunt claustra benigna tui.*

Cydo-

Cydonia.

Cùm tibi Cecropio confecta cydonia melle
Ponuntur, uentrem claudere certè queunt.

De auellana.

Pontica nux capiti nocet, & tardißima uentri est,
Maximè quæ umbrosis nascitur in corilis.

Arbuta, sorba, mespila.

Arbuta, sorba tenent fluidos, & mespila uentres,
Si uacuus stomachus sumpserit illa simul.

Amygdala.

Feruet & emollit, si dulcis, amygdala, amara est
Asperior, mensas nesciat illa tuas.

Pinea.

Intestina fouet, neruis, rubeoq; lapillo
Subuenit, & Veneri pinea grata deæ est.

De nuce communi.

Nux caput obtundit, linguam conuulnerat, & nux
Pulmonem lædit, sed uirus omne necat.

De castanea.

In caput & uentres castanea fertur echino
Tecta superbire hæc, nam calet igne nimis.

De malis punicis.

Dulcia sunt madidi roris, sicci acria poma
Punica, pulmoni hæc sunt mala, at illa bona.

De malis punicis.

Acribus est gelidus, feruescens dulcibus humor,
Dulcia gustantem peruomuisse uolunt.

De uuis.

Quam nigram gustes, quæ sit tibi gratior uua,
Ne'ue inflet soles sit remorata duos.

De uua passa.

*Passa iecur roborat, facit & quod fœtida uentris*
*Merda tibi nimium non graue pondus erit.*

De prunis syluestribus.

*Frigida sunt, uomitumq; tenent syluestria pruna.*
*Multum condensant ubera longa quoq;.*

Poma nerantia.

*Omnibus ecce nerantia sunt gratißima odore,*
*Dulcia confortant, pectoribusq; fauent.*

## QVALITER ET QVALE VINVM pro sanitate custodienda bibendum. Cap. XIIII.

De modo bibendi.

*Sæpe bibas, semperq; parum, si uiuere sanus*
*Ipse cupis, pocla fraxina sunt bezoar.*

Quæ uirtus sit uino.

*Corda iuuant uini calices, subitamq; reportant*
*Lætitiam, uinum si moderatè bibas.*

Vinum quod optimum.

*Si tibi delectum uini præscribere tentas,*
*Subrubeos primas crede tenere cados.*

De uino albo.

*Hinc albo palmam tribuunt, sed maximè claro*
*Ætatis mediæ, nam noua musta nocent.*

De forti uino.

*Fortia disturbant, nimiumq; furentia uina*
*Sensus, corrumpunt uentriculumq; bonum.*

De musto.

*Impedit urinam mustum, cit stercora uentris,*
*Hepatis emphraxim destruit atq; bonam.*

De aqua.

*Potus aquæ lædit uentrem, facit atq; cruores*
*Crudos, sic princeps Corduba quem genuit.*

De dulci uino.

*Sunt nutritiua plus dulcia candida uina,*
*Sed iecur obturant, non benè tuta gulæ.*

De uino roris marini.

*Phthisicis antidotum est uinum de rore marino*
*Confortat uisum, cuncta uenena fugat.*

De uino boraginato.

*Dat tibi borago uinum quod curat amentes,*
*Cardiacam tollit, lætitiamq; facit.*

De uino enulato.

*Si bibitur, mouet urinas ex enula Bacchus,*
*Tussim compescit, pectoribusq; ualet.*

De uino ex hyssopo.

*Ex hyssopo latices patientibus ecce catarrhum.*
*Proscribunt, pectus mundificare queunt.*

De uino saluiato.

*Saluia cum uino iecoris potata querelis*
*Prodest, & purgat menstrua sola nimis.*

Canon de uinis.

*Ex herbis uinum caput ad, post fercula gustes,*
*Ad iecur & renes, uenter inanis amat.*

DE

## DE RE TERTIA NON NATVRALI, quæ est motus & quies. Cap. XV.

*Latonidis ni fortè cupit gustasse liquores*
*Sanus, phyllirides pocula quæq; tenet:*
*Sedulus accingat corpus pro temporis usu,*
*Hæc exercitium post posuisse uelit.*

Exercitij utilitas.

*Augens innatum recreat, quod certè calorem,*
*Et gratam nostris uiribus addit ipse.*

Ante cibum ambulandum, pòst quiescendum.

*Ante cibos igitur moderatis greßibus uti*
*Conuenit, à mensa sed iuuat ipsa quies,*

Tempore æstiuo & hyemali quid.

*Ambulet à cœna sole ingrediente leonem,*
*Eligat & focum, dum bene capra nitet:*
*Quod motus ualeat Peligni carmina uatis,*
*His uerbis pandunt, quód ue quies ualeat.*
Libro primo de Ponto. *Cernis, ut ignauum corrumpant ocia corpus,*
*Vt capiant uitium, ni moueantur aquæ.*
Epistola 4. *Quod caret alterna requie, durabile non est,*
*Hæc reparat uires, fessaq; membra iuuat.*

## DE QVARTA RE NON NATVRALI, somno & uigilia. Cap. XVI.

Excessus somni nocet.

*Excessum somni fugiat, qui corpore saluus*
*Esse cupit, morbos seu pepulisse graues.*

Somnus sit septem horarum.

*Et septem horarum somnum sufficere credat,*
*Qui mentem & corpus corroborare queat:*

*Longior humectat cerebrum, torpedine corpus*
*Inficit, & frequens rheumata multiplicat.*

Quando longior esse posit.

*Ast prælibatas si quis cognouerit escas*
*Duras, tunc somnus longior esse potest.*

Pronus & supinus lædunt.

*Vt pronus lædit somnus, sic atq; supinus,*
*In dextram facilis, sed bene perficitur.*

Neq; uacuo, neq; repleto stomacho dorm.

*Et dormire super uacuum mirificè uentrem*
*Lædit, repletum nec petit atq; sopor.*
*Primùm uirtutes nam destruit ecce benignas,*
*Sed subeth aut phrenesim congenerat aliud.*

Qui longo somno perfrui queant.

*Hos iuuat immensum somnus, quos arida crasis*
*Nutrit, sed pingues plus uigilasse iuuat.*

A mensa non dormiendum.

*A mensa somnus caput aggrauat, & facit illud*
*Rheumate farciri conuitiente iecur.*

Somnus pomeridianus nocet.

*Cumq; pari spacio collucent uesper & ortus,*
*Abstineat somno, qui ualuisse cupit.*

Crebræ uigiliæ damno sunt.

*Et uelut excessus somni mala damna ministrat,*
*Sic uigilem nimium damna tulisse patet:*
*In medio est igitur uirtus, tenuêre beati*
*Nam medium, medium pensitat ipse Deus.*

## DE REPLETIONE ET INANITIONE, quinta re non naturali. Cap. XVII.

*Lampade Phœbea iam prætereunte leonem,*

Cumq;

*Cumq; pares horas enthea libra tenet.*
*Aut quando in tignis nidum suspendit hyrundo,*
*Is marium & pellex Attica plorat Itin.*

Tempore ueris minuendus sanguis.

*Incidere uenas, & uentrem soluere prodest,*
*Congenitus superet ne male corpus humor.*
*At bene notandus situs est membri atq; figura,*
*Gaudent nam antidoto singula membra suo.*

Cor stomachi per uomitum.

*Cor stomachi uomitu purgandum est, pectore sano,*
*Tempore non gelido, sole nitente canem.*

Hepar per intestina purgatur.

*Intestina uolunt proscribere, mittit hepar quod*
*A simis, mictum sed bene gibbus amat.*

Cerebrum per nasum.

*Per nasum cerebrum purgatur, siue palatum,*
*Pectus per tussim, per leue pulmo sputum.*

Intercutanea per scarificationem.

*Atq; diaphoresi, ferroq; uel igne latentem*
*Chymum pingamus, quem tenet ipsa cutis.*

Bombi uentris non retinendi.

*Ac olidos uentris bombos exire iubemus*
*Inclusi morbos, qui generare solent.*

## DE COITVS MODERATI VTIlitate. Cap. XVIII.

Coitus moderati commoda.

*Spumigenæ Veneris quandoq; incendia prosunt,*
*Si non excessus damna tulisse uelit.*
*Nam tumidos renes curant, calor intimus inde*
*Firmatur, multum sydereumq; caput*

Expellit

*Expellit curas, iram contundit, amantem*
*Reddens audacem mox ſatiata Venus.*

## DE BALNEIS ET BALNEANDI methodo. Cap. XIX.

Thermæ malè affectis bonæ.

*Balnea morboſum recreant ſulphurea corpus,*
*Aſt eadem ſanum pertimuiſſe uelit.*

Quando pingues & obœſi balneandi.

*Corporis obœſi, uacuo ſi uentre ſaburra,*
*Sed tenues pleno rectè lauare ſolent.*

Balneum gelidum & tepidum.

*Si gelida ingrederis roboras (mihi crede) calorem*
*Balnea, ſed tepida ſunt fugienda tibi.*

## DE FRICTIONE CVM MEMBRA non mouentur. Cap. XX.

Frictio motum ſupplet.

*In cunctis natura potens ſapit, ægra moueri*
*Corpora cùm nequeunt, frictio prompta ſubeſt.*

Frictionis utilitas.

*Senſus quæ nutrit, calor ex qua creſcit amicus,*
*Et firmat melius languida membra ſimul.*

## DE ACCIDENTIBVS ANIMI, SEXta re non naturali. Cap. XXI.

*Qui cupit Eboicæ uatis complerier annos,*
*Delicias tractet, gaudia, mille iocas,* Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Prouer.
*Lætitias, riſus, ludos, dulceſq; cachinnos,*
*Nam ſanum exanimant ira, metuſq; graues.*
*Nodoſas rerum cauſas ac alta relinquat,*
*Necq; uelit mentem ſollicitaſſe nimis.*

FINIS.

# PROPHYLACTICA,

## HOC EST DE SECVNDA VAletudine tuenda, Dioclis Cariſtij medici & oratoris clariſsimi, ad regem Antigonum epiſtola, per Georgium Pictorium Willinganum doctorem medicum, ſcholijs dilucidè explanata.

### DIOCLES ANTIGONO REGI BENE AGERE.

QVANDOQVIDEM tibi Antigone, maxima omnium regum eruditio eſt, atque grandæua iam ætas, omnisq; philoſophiæ peritia, & mathematices deniq; ſtudij (quibus ſingulis clarus es) palma facilè contigit, regiã ego atq; adeò peculiarem eſſe ſuſpicans, eã philoſophiæ quoq; partẽ, quæ incolumitatem tueri docet, delineare atq; deſcribere tuæ maieſtati hac noſtra epiſtola uolui: undénã mortalibus ægritudines proficiſcantur, deq; quibuſdam præcedentibus notis, & quibus remedijs ſuccurrendum ſit. Quemadmodum enim

Homœoſin hic ponit Diocl.

cœli tempeſtatem nunquam non ſigna quædam manifeſta præcedunt, quibus nautę ac cæteri multarum rerum periti homines, quid ipſis agendum, quo tutiores ſint, colligunt. Sic neq; ullus præter naturam affectus, unquam hominis naturam nullis præcedentibus præſagijs tentat. Tu itaque noſtris hiſce præceptiunculis confiſus, & obuijs ulnis ea ſuſcipere, &

re, &

re, & adamussim etiã obseruare ne graueris.

SCHOLIA.

*Dioclis Caristij epistola*] *Hunc Dioclem Caristium medicum & oratorem fuisse, Galenus in libro de Astrologia docet, qui hunc in suis libris tanti facit, ut subinde sua scripta Dioclis allegatis confirmet. Diogenes Laërtius octauo libro, Plinio uigesimosexto suffragante, hunc ætate & fama secundum post Hippocratem nominat, qui inter postremos Pythagoreorum uixerit.* Diocles quis. Diocles secundus post Hippocratẽ.

*Antigono regi bene agere.*] *Antigonus iste Macedoniæ rex fuit, luscus Plinio referente, & Demetrij pater, qui contra Iudæos dimicans, confossus animam dedit, Eusebio teste.*

*Atq; grandæua iam ætas.*] *Vt quæ ad lapsum prona sit, & optima conseruandæ sanitatis methodo ualde indigeat.*

*Omnisq; philosophiæ peritia.*] *Et quomodo quis Antigonum philosophiæ, maximè moralis, non fuisse peritißimum dixerit? cùm in aduersis animi non fuerit depreßi, in prosperis non elati, & nulla regibus honesta dixerit quàm honesta, nulla iusta nisi iusta. Quiq; regem non honesti & iusti regulam, sed ministrum affirmarit, lõgè ab alijs dissentiens regibus, qui sibi ipsis geminam potestatem datam esse proclamant, ordinatam quippe & absolutam: quarum altera poßit, quod leges, pacta, et fœdera postulant: altera, quod libeat & maximè uelint. Qui de huius philosophia plura uelit, Senecam legat in libro de Ira.* Antigonus quomodo philosophus.

Philosophia naturalis physic.

*Quæ incolumitatem tueri docet.*] Hoc est naturalem, quam Græci physicen dicunt, quæ rerum naturas inquirit.

Homœosis quid.

*Quemadmodum enim cœli tempest.*] Homœosin Diocles adducit, ut per similitudinem cogniti deueniamus in cognitionem incogniti.

## QVATVOR CORPORIS PARTES.

Diducimus iam hominis corpusculum in partes quatuor: caput, thoracem, uentrem atque uesicam. Quum igitur olim quid morbi caput læsurum est, hæc portenta solent magna ex parte præcedere, uertigo, dolor capitis, superciliorum grauedo, murmur aurium, stimulatio siue punctura temporum, oculi matutino tempore lachrymantur, & caligant, odoratus hebetatur, dentium gingiuæ attollũtur.

## SCHOLIA.

*In partes quatuor.*] Hominis fabricam in quatuor partes Diocles secat, caput, thoracem, uẽtrem & uesicam: quamuis alij saltem in tres, quartã sub tertia asseruatam. Id quod maximè notamus apud Carpum, quando suam corporis humani anatomen tractat, & in primo libri uestibulo primam partem, quam alij supremum uentrem nominant testam, hoc est caput, ponit: quòd inde sensus initium capiant dictum, & in eo membra animalia contineantur. Secundam, concauitatem intra costas & ossa eius annexa, uitalium membrorum sedem, medij uentris agnomine. Et tertiam, concauitatem uitæ officinam, intra abdomen & partem dorsi, infra septumtransuersum,

In homine tres uentres.

Caput, unde.

*uersum, descendendo antè usq; ad pectinem, & retrò usque ad anum, in qua nutritionis sub inferioris uentris nuncupatione asseruētur membra, uelut hepar, splen, stomachus, renes, uesica & intestina.*

*Hæc portenta solent præcedere*] *Nimirum ex humoribus causata, uel in substantia cerebri, uel neruis & uenis eiusdem præter naturam contentis, qui per motum seu actionē caloris naturalis denuò sint casuri, ut illa symptomata præsagiant.*

## DIOCLIS CVRA.

Ergo cùm eiusmodi quiddam portenti senseris, caput confestim euacuandum ducito, nullis sanè medicamentorum præsidijs. Verùm sumptis hysopi aut origani capitibus tritis, & in ollula ebulitis cum passo, uel iuris semisextario, quibus os ieiunus abluito, atque quoad pituita deducitur gargarizato. Hoc quippe capitis affectionum facilimum est pręsidium. Saluberrimum quoq; fuerit sinapi ex aqua mulsa calida macerato irrigato'ue sobrium os colluere, & gargarizando à capite humorem deducere. Oportet autem caput ipsum antea tegmine quopiam calfacere, quo liquefacta pituita sine impedimento effluere posit. Quum hæc igitur, quæ proposita sunt, flocci pendun- tur indicia, eiuscemodi ferè morbi succedere consueuerunt, ophthalmiæ, glaucomata, aurium fissuræ, strumæ in ceruice, cerebri tabes, σφακελισμὸς à Græcis dicta, coriza, grauedo, angina nocturna, teredones, uua, profluuium capillorum, ulceratio capitis, dētium cruciatus,

Præcedentiū symptomatū cura.

Sphacelismos quid.

SCHOLIA.

*Caput confestim euacuandum ducito.*] Præcipit hîc Diocles, ut præfatis instantibus portentis, statim lenioribus medicamentis à capite, reliquo corpore impurgato, detrimentosos hyssopi quippe & origani cimis, in passi uel iuris semisextario, hoc est libra una cum uncijs quatuor coctis, os colluẽdo propellamus humores, quibus ambabus herbis Galenus octauo Simplicium, capitibus 24 & 152. incisiuam uirtutem, subtiliatiuam & siccatiuam in tertio calefacientium adscribit.

Sextarius quid.

*Saluberrimum quoque fuerit sinapi.*] Sic enim sinapi etiam Dioscorides laudat lib. 2. cap. 143. qui à capite pituitas per oris regionem hoc semen deriuare docet. Samium Pythagoram cum toto suorum discipulorum grege, in cibis mentem subtiliandam usum Marcellus Vergilius Florentinus docet, quem pluris hoc semen incidendo & calefaciendo duxisse narrat, quàm ullam aliam herbam naturæ beneficio datam.

Sinapio Pythagoras usus

*Oportet autem caput ipsum calefacere.*] Medicus regulariter suæ intentioni incumbens, materias saltem digestas euacuat, quæ expulsioni redditæ sunt habiles: quod etiam Cous senex primo Separatorum sermonum docet, 22. sermone. Hinc Diocles caput tegumento prius calefaciendum, hortatur ut humores sic eliquescant, & quasi digesti expellendum habiliores & proniores reddantur.

Digesta medicanda.

*Cùm hæc igitur floccipenduntur.*] Istis subscribit Princeps tertia tertij tract. 1. cap. 6. dicit enim

cùm

cùm in cerebro aggregatur materiarũ copia, necesse est fieri ophthalmiam: humoribus uanq; à cerebro per duram & piam matricem, per opticos neruos, uenas & arterias, in panniculos oculorum decidentibus. Facilè datur intelligere hanc, et etiam uicinorum membrorum citra puluerem fieri posse malos affectus, ueluti aurium fissuræ sunt, glandulæ ceruicis, tabes cerebri, coryssa & alia. Est autem ophthalmia, Galeno teste, in secundo de Medendi methodo, phlegmone oculorum, secundum Auicennam in coniunctiua. Sed glaucoma mutatio naturalis humoris in colorem cæsium, asserente Galeno lib. Definitionum medicarum.

Ophthalmia quid.

Glaucoma.

Aurium fissuræ.] Aures quandoque interius tetrum mali genus, hoc est uermes, haud alios quàm ex corrupto cadauere enatos sic fouent, ut propter fissuras inde factas, uel pus, uel sanguis exeat. Quæ Æginetæ 3. lib. cap. 23. & Dioscoridi lib. 3. cap. 38. aures uermiculosæ nominantur, & Diocli scissæ.

Aurium fissuræ.

Strumæ in ceruice.] Strumas tumores esse, seu glandulas uel ceruicis, uel aliarũ corporis partium, ex pituita ortas maximè constat. Quamuis Hippocrates hoc malum ceruici peculiarißimum in suo libro de Glandulis testatur. Quidam easdem scrophulas à scropha, hoc est sue nominant, sed Græci αὐδένας & χοιράδας dicunt.

Struma quid.

Cerebri tabes.] Tabem consumptionem membrorum, spiritus ac solidorum, significare nouimus. Græci φθίσιν nominant, sed hoc loco citra dubium per cerebri tabem, quamuis putredinem cerebri, aut

Cerebri tabes

φθίσις quid.

*aliud cerebri malum symptoma innuit, huc tamen uidendus est Galen. in 4. & 6. de medendi methodo.*

Coriza. *Coriza.] κορύζα, defluxus ad nares est: Latinis*

Synanchis. *grauedo dictus, sed anginā σύναγχην Græci uocant, quæ faucium morbus est uel tumor. Cuius species Hippocrates tertio Prognosticorum, 17 sermone. quatuor enumerat, quamuis Celsus saltem tres habeat: quod Diocles nocturnæ anginæ mentionem habet, ex nocturnis fluxionibus futuram anginam significat.*

καρυβαρία quid. *Grauedo.] Grauedinem Græci καρυβαρίαν uocant, ex multa repletione ortā, maximè Austro flante, si Hippocrati subscribimus 3. Aphoris. serm. 19.*

Teredones. *Teredones.] Per teredones acutos humores ossa corrodentes intelligit, quales fermè in herpes esthiomeno quandoq; esse notamus.*

Vuula quid. *Vua.] Vuulæ elongationem indicat, quam uocis plectrum interpretantur, & Græci σαφυλὴν nomināt: Hippocrates γαργαρεῶνα, id est gurgulionem, tertio Prognost. sermone 23.*

γαργαρεῶνα.

## DE SIGNIS IMMINENTIBVS THORACI.

Cùm autem quippiam mali thorax passurus est, his signis portenditur. Sudor quidam undiq; corpus quidem occupat, sed thoracem maximè. Lingua crassescit, eijciunt per sputa uel salsa, uel amara, uel biliosa: in lateribus ac scapulis dolores citra occasionem oriuntur,

χάσμαι. oscedines crebræ, quæ χάσμαι à Græcis dicuntur, uigiliæ, suffocationes, sitis, ex somno animus mœrore afficitur, algores item pectoris,

atq; brachiorum & manuum tremor infeſtant: quibus non imprudenter ad hũc modum ſuccurritur, uomitionem non crapuloſam à cœna, quoad fieri poteſt ciere conuenit: abſq; medicamine, proſunt etiam uomitus, quos cibus ſequitur, quos Græcorum nonnulli συρμαισμὸς nuncupant. Cui igitur ſic placet uomere, radiculas tenues, naſturtium, erucam, ſinapi, portulacam deuoret: deinde aqua tepida hauſta euomat.

Cura præfatorum.

## SCHOLIA.

*Sudor undique corpus occupat.] Si undiq; corpus morbo, ſeu materia morbi aſpergitur, neceſſe eſt ut totum corpus purgetur ſudore. Sudor enim naturalis nihil aliud eſt, quàm purgatio naturæ, Galeno teſte, ex nimijs ſuperfluitatibus. Sed thoracē maximè neceſſe eſt ſaltem aſpergi, id quod etiamnum Hippocrates docet 4. Aphoriſ. apho. 38. & Auicenna ſecunda quarti de ſignificationibus ſudoris.*

Sudor quid.

*Lingua areſcit, eijciunt per ſputa.] Et Galenus hiſce Dioclis aſſertis conſentire uidetur ſecũdo Par uæ artis, quando ſigna deſcribit ægri pulmonis.*

*Cui igitur placet uomere,] In eo genere uomitionis principem probitatis notam radiculam habere, & erucam quoq; Paulus ſcribit ſecundo tuendæ ſanitatis libro. 42 cap.*

Radicula & eruca.

## DIOCLES.

Qui dicta præſagia nauci fecerint, has affectiones metuant, pleuritim, pulmonariam, melancholiam, febres acutas, phrenitim, ueternum, & cum ſingultu ardorem.

## SCHOLIA.

*Qui dicta præsagia.*] *Istæc signa nihili facientibus pleuritis superuenire solet, pulmonaria & multa alia. Est autem pleuritis, abscessus lateris in pellicula obducente costas. Latini morbum costalem nominant. huius Galenus meminit lib. 5. locor. affect. capite secundo.*

Pleuritis quid

*Pulmonariam.*] *Per pulmonariam* περιπλευμονίαν *pulmonis abscessum innuit, cuius per saniei sputum iudicium datur, Hippocrate 2 Prognosticorum libro asserente, sermone 50.*

Pulmonaria quid.

*Melancholiam.*] *Hoc est desipientiam, seu mentis alienationem cum torpore, tristitia & desperatione. Huius præter naturam affectus tertio Locorum affectuum, Galenus longum sermonem habet sexto capite.*

Melancholia quid.

*Phrenitim.*] φρενῖτιν, *id est insaniæ speciem, ex acuta febre cum dementia continua & capitis dolore maximo, quandoq; apostemate accedente.*

Phrenitis.

*Veternum.*] *Veternus, torpor est ac pigritia cum somnolentia, Græcis* κῶμα *dicitur, quod socordiam ad res agendas inducat.*

Veternus κῶμα.

*Cum singultu ardorem.*] *Singultus Græcis* λυγμός *appellatur, qui ex stomachi oris adfectione prouenit, uelut tußis ex pulmone, & sternutatio à cerebro, quæ si singultui superueniat, ipsum tollit, autore Hippocrate 7. Aphor.*

λυγμός.

## DE SIGNIS INCVMBENTIBVS uentri doloroso.

Si quis uerò uentrem morbus occupaturus est,

est, his signis prȩsagiri potest. Venter primitùs conuoluitur, & in sese ipso perturbatur, esculenta cum poculentis amaritudinem præferre putantur, genuum est grauitas, lumborum rigor inflectilis, uniuersæ molis corporeæ lassitudo, idq́; sine occasione, crurum torpedo, stuporq́; febriculæ exiles. Vbi hæc portenta senseris, uenter nullo medicamento quidem, sed uictus ratione mollificandus est. Satius enim *Nota.* & longè tutius est ijs uti, quibus delinqui facilè non potest: è quorum numero sunt beta aqua mulsa cocta, allia elixa, malua, rumex, mercurialis, & omnia melle condita: cuncta enim hæc, alui deijciūt sedimina. Quòd si præsagio- *Cura.* rum aliquod magis magisq́; intendatur, eruci liquorem omnibus decoctis infundito: suauior nanque & tutior est. Vtilis item fuerit, leuis brassica in non exigua aqua elixa. Huius succus, inquam, quatuor heminarum mensura cum melle ac salle potui datus, profuerit. Ciceris aut erui aqua in ieiunio epota, eundem effectum habet. Hæc signa parui pendentibus huiuscemodi affectiones superuenire solent, uētris diarhœa, hoc est fluxus, disenteria, lienteria, id est intestinorū leuitas, uoluulus, εἰλεὸς *Vuluulus εἰλεὸς.* Græcis dictus, coxendix, febris tertiana, podagra, apoplexia, hȩmorrhoides, cruciatus articularis.

## SCHOLIA.

*Ac in se ipso perturbatur.*] *Quia malorum humorum exundans factus est lacuna, unde quoque cibi & potus in sapore fit alteratio, in amaritudinem aut salsugimem declinans.*

*Laßitudo idq́; ſine occaſione.*] *Huius laßitudinis Hippocrates quoque ſecundò Separatorum ſermonum ſuorum libro. meminit quinto Aphor. Et Auicenna tertia primi, doctr. ſecunda, capite de laſſitudine conſequente exercitium. Et doctrina quinta, capite de ſuccurrendo accidentibus pronoſticantibus morbos futuros. Item prima quarti de ſermone uniuerſali ſignorum febrium putridarum.*

*Sed uictus ratione mollificandus.*] *Ventrem non medicamentis, ſed uictus ratione remolliendum Diocles præcipit, pro hac Galeni ſententia undecimo de ſanitatis ingenio, quãdo inquit, qui per dietam, hoc eſt, uictus rationem curat, feliciter curat.*

Per dietam curandum.

*Quibus delinqui facilè non poteſt.*] *Maximè in ſenes, leuißima ex cauſa alterabiles. E quorum numero beta eſt, aqua mulſa decocta, quam adeò uirtutis abſterſoriæ Galenus ſecundo de Alimentis ſcribit, ut aluum quoque ad excretionem ſtimulet, magisq́; iecoris obſtructionibus ualeat, quàm uel malua, uel alia quæuis herba. Item alleum & rumex, quarum primam Rufus ſaburræ excretiuam narrat, alteram Dioſcorides uentris remollitiuam aut ſubiunctiuam, Mercurialẽ Auerrois 5. collig. cap. 42. ſtercus expellere docet: quod item Galenus adprobat 7. ſimplicium, capite Linoſoſtida.*

Beta.

Alterum rumex.

Mercuriales.

*Et omnia mellita.*] *Hoc loco Diocles Auicennæ & Meſuæ placitis ex diametro oppugnat, quando mellita omnia, id eſt omnia melle condita uentrem mollificare ſcribit præfatis oppoſitum ſentientibus. Habet enim primus in ſecundo ſuo libro, capite 66. ſic,*

Diocles contra Auicẽnam & Meſue.

ſic, Permixtio aloës cum melle minuit uirtutem eius, adeò ut non ſoluat. Et alter libro de ſimplicibus medicamentis, aloë cum melle minoris eſt ſolutionis, Diocli ueriſsimè complures ex doctiſsima medicorum ſchola ſubſcribunt. In primis tamen Hippocrates in libro De morbis qui extra: Qui, inquit, mel cum cæteris ſumptum nutrit, coloremq́; bonum facit, ſed ſolùm emaciat, lotium cit, ſupraq́; modum purgat. Et Galenus lib. 3. de Alimentis, cap. 38. qui in hæc prorumpit uerba: Mel quandam acritudinem habet, qua ad egeſtionem excitat uentrem. Item Galeni adbreuiator Ægineta primo libro. 96 cap. Mel inquiens coctum magis alit, quàm aluum ſubducat, non coctum contrà. Nec aliter Dioſcorides ſentit 2. lib. cap. 73. ait enim: Mel crudum inflat aluum, & tuſsim proritat. Et Alexander Aphrodiſæus uir ex aſſe peritus, ſectione ſecunda, problemate 66. mel, inquiens, incoctum tergit & purgat, coctum alere tantùm poteſt. Mel aluum ſoluit.

Cnici liquorem confundito.] Cnici liquorem, id eſt carthami ſuccum. De cnici ſolutione Theophraſtus ſcribit in ſexto de Planetarum hiſtoria, & Dioſcorid. lib. 4. cap. 182. uulgò Schein ſaffran nominant, aut flor. Cnicum quid

Vtilis, leuis, braſsica.] Braſsica, eſt herba multùm nota, uentris remollitiua: de hac in noſtra uictus ratione ſic luſimus:

Caulis Romana, Græcorum braſsica lingua De caule.
Dicitur hæc uentris poſſe lenire moram.

Atq;

Atq; omnes narrant caligine lumina tergi.
Eius qui caulis comedit ecce comas.

Hemina quid

Quatuor heminarum.] Hemina dimidium sextarium facit, cuius præcedenter facta est mentio.

Ciceris aut erui decoctum.] Cicer & eruum etiam Dioscoridis calculo bonam faciunt aluum, lib. 2. cap. 95. & cap. 100.

Diarhœa. Dissinteria. Lienteria.

Huiuscemodi affectiones superuenire.] Diarhœa, hoc est uentris profluuium: dysenteria, id est intestinorum cum dolore leuitas. Lienteria, quæ cibos iam primùm sumptos per inferius reddit. Voluulus, in quo uehementißimi dolores cum crebris euomitionibus sic nutriant, ut uix unus restitutus euadat. Ileon quidam uocant, coxendicen Græci ἰσχίαν uocant, Latini coxã, hac affectione laborantes schiatici nominantur, Germanis der nõsch uel troff dicitur, apoplexia Galeni dicitur 3. lib. de Accident. mollities est totius cum ablatione regitiuæ uirtutis. De hac Auicenna prima tertij Tract. 5. cap. proprio, qui apoplexiã, ociositatem membrorum à sensu & motu propter opilationem in uentriculis cerebri contingentem, & cursibus spiritus sensibilis & motiui. Hæmorrhoides, id est ex capitibus uenarum in ambitu ani fluores.

Ileon. Schiatici. Apoplexia. Hemorrhoides.

ἀρθρῖτις.

Cruciatu.] Articulorum ἀρθρῖτιν uocant Græci, nos arteticam.

Non sunt uili pendenda, quæ Diocles præsagiat portenta, quoniam nihil præter rationẽ addit. Nam in corpore humoribus ad tempus delitescẽtibus, per sæpe natura rerum opifex, stimulum addit, ut casui pronos

*pronos reddat, quò cadant, non seruata ratione, in quem corporis locum, saltem ut cadant: unde fit ut sibi emunctoria lædendum, uel in uirtutis animalis, seu uitalis aut naturalis sede quæritent, & persæpe in extremis, seu in partibus à corpore elongatis.*

## DE SIGNIS INCVMBENTIBVS morbis uesicæ.

Quando autem uesicæ malum immineat, his notis deprehenditur: post exiguum etiam cibum plenitas infestare uidetur, inflationes, eructationes, uniuersi corporis pallor, somni graues, lotia lurida, & ęgerrimè emanantia, & circa pudēda œdemata. Cùm apparuerint prę sagia, suppetijs odoratis lotia impellentibus opem ferre conuenit: id quod sine periculo futurum est. Sunt igitur fœniculi, apijq́; radices in uino albo odorato macerandæ, unde ieiunus in matutino quotidie duos sumat cyathos cum aqua dauci, smirnij, enulæ cāpanæ, quodcunque horum ad manum sit, iuxta enim singula iuuant. Cicerum quoque maceratorum aquam, si cum uino potauerit, idem consequetur. Qui uerò dictas notas negligenter præterierit, hoc morbos expectet hydropem, lienis magnitudinem, hepatis dolorē, λιθίασιν, quam calculum Romani dicunt: nephritim, id est renum affectionem, lotij stillicidium, distentionem uentris. Cæterùm in omnibus his, quæ hactenus proposuimus, signis, infantib. quidem clemētiores, grandioribus uerò natu efficaciores medelas exhibebimus.

Quæ morbos uesicæ præsagiant.

Cura.

SCHO-

*Quando autem uesicæ.*] Iuratißimos in numerato habemus testes, & plures quidem, inter quos conuenit, potißimùm tamen omni exceptione maiorem Auicennam, asserentes eò usq; prudenter omnia per naturam rerum Dædaleam artificem fabrefacta, ut sponte in corporis humani officina semper membra nobilia, aut si mauis principalia, à se in membra ignobilia, seu minus principalia nocuos humores uelut sordidam sentinam protrudant: quos denuò istæc ignobilia ad magis ignobilia, & quasi ad infimam membrorum fecem transmittant, ut in posterum ipsa patiantur, & onus quàm diu ac possunt ferant, cùm amplius non possunt succumbant. Id ueri locum etiam hîc obtinere nos ipsi in uesica, lotij receptaculo, bene notamus. Quadam etenim succeßione nobilia membra, humores ad ignobilia, & deinde istæc ignobilia quasi per manus ad alia transmittunt magis ignobilia, donec ad uesicam reluctari impotentem, humores isti pertingant, ut eam grauent. Nisi enim statim egerantur, coalescunt in molem, & meatus obstruunt urinales: unde nisi per curam, quam Diocles adducit, propediem malo succurratur, nemini non patebit orituram uel stranguriam uel dissuriam, χθίασιν, azabaram: dum uesica per consensum in caput peccat, pallorem ac pudendorum œdemata, id est tumores.

Membra nobilia à se proscribunt superfluitates.

Cyathus quid

*Duos igitur quotidie cyathos sumat.*] Hoc est, uncias tres: nam cyathus, ponderis nomen est per se ℥.j s. faciens.

*Cum aqua dauci.*] Id est pastinacæ, cuius Galenus me-

*nus meminit secundo libro de Alimentis.*

Et *smyrnij.*] *Quidam textus mirrhæ habent. Vbi smyrnij magis placet, dum herba smyrnion diuretica est, hoc est urinæ prouocatiua. Nam Alexandro teste, species appij est. Huius meminit Plinius libro 18. cap. 8. & lib. 27. cap. ultimo.* Smyrnion herba.

DIOCLES.

Neq; post hæc silenter pertransibimus anni solstitia, in quibus singula quæq; accidunt, sed quæ ingerenda, offerēda'ue, & à quibus abstinendum, tribus (ut aiunt) uerbis expediam. Exordiar itaq; à solstitio brumali.

*Neque post hæc.*] *Qualiter temporum anni in conseruandæ sanitatis methodo habenda sit ratio. Hippocrates tertio Aphorismorum in multis locis ostendit, & princeps secunda primi, doct. 2. cap. 4.*

Solstitij brumalis tempore augetur in hominibus catarrus & humiditates ad uernum usque æquidiale, calidiora itaque tum ingerenda, & meracius prolixius'q;, atque ab origano bibendum est, libidini'q; indulgendum, sunt autem usq; ad æquidiale dies nonaginta.

*Solstitij brumalis tempore.*] *Singulis annis duo solstitia esse, nemini dubium est: unum quippe brumale, in principio capricorni, quando sol ad nos incipit reuerti: & aliud in principio cancri, quando sol ad inferiores incipit cōmeare circulos. De his Plinius libro 18, cap. 28. In brumalis autem instantia, pituita in homine redundat, & grauedines atque destillationes augentur: unde calidioribus maximè utendum. Dioces hortatur alimentis, meraciusq; ab* Solstitia anni duo.

*origano herba calida bibendum docet, ut symptomatibus pituitosis, & oriri poßibilibus, fœlicius occurratur.* Eandem *cantilenam* Polybius *Græcus* in *suo de salubri uictus ratione priuatorum, tractat: statim enim à principio sui libri sic scribit:* Priuatos *hanc uiuendi rationem sequi oportet,* Hyeme plus *esse, minus bibere cõuenit.* Sed potioni uinum quàm *meracißimum,* Esui *panis exhibendus,* Carne potius *assa & modicè utendum. huiusmodi nanq; alimentis corpus & calidum & siccum euadet.*

Ichora quid. Ab æquinoctio uerno usq; ad uergiliarum exortum, pituita & dulcis sanies, quas ichoras dicunt sanguinis, in mortalibus crescunt. Idcirco quàm maximè succosis acribusq; utendum est, corpus diligenter & cum labore exercitandum, Concubitui tum quoq; indulgendum. Numerantur uerò usq; ad Vergiliarum ortum dies sex & quadraginta.

Æquinoctiũ uernum. *Ab æquinoctio uerno.*] *In æquinoctio uerno, quod quidam æquidiam uersionem quoque nominant, quòd & diem & noctem duodecim horarum dimetiatur, pituita in corpore humano fit.* Et *dulcis sanguinis icor, id est humor: unde succosis utendum suadet* Diocles, *acribusq; utendum, ac corpus exercendum, & furtiuo* Veneris *incendio succurendum.* Id *quod etiam num* Polybius *docet, qui potioni ueris tempore adijciendũ consultat, sed paulatim cum diluto,* Cibo *demendum, eoq; melli & magis oleribus utendum.*

Vergiliarum exortus. Tempore uergiliarum exortus, in hominibus amara bilis excrescit, & eiusdem qualitatis

sanies,

sanies, cruorq́; ad æquinoctium usq; æstiuale, tum suauia aluum cientia ingerere, & Veneri minimum indulgere conuenit. Numerantur autem ad solstitium usque æstiuum, dies quinque & quadraginta.

*Tempore uergiliarum exortus.*] *Vergiliarum seu pleiadum exortum bilem amaram Diocles cum Hippocrate in libro de Natura humana, & saniem eiusdem qualitatis augeri scribit, ac dulcibus quæ aluum leniter ducant, succurrendum monet. Sunt autem uergiliæ septem stellæ in dorso tauri situatæ, astronomis asserentibus: sed Nicandro teste in tauri cauda. Has stellas Atlantides quoq; poetæ nominant, quòd septē Atlantides filias fuisse dixerint, de his multa Ioan. Franciscus Mirādulanus in cōment. in hymnos suos heroicos, & Plinius lib. 18. cap. 26.* Atlantides.

Solstitij æstiui tempus atræ bilis abundantiam in homine facit, usque ad æquinoctiū autumnale. Vtendum itaq; egelidis undis, odoratisq́; omnibus, Venus uel omnino uitanda, uel simpliciter saltem, ac candidè quæ de ipsa tradita sunt, admittenda. Inseruntur autem inter æstiuum solstitium & autumnale æquinoctium dies tres & nonaginta. Solstitium æstiuum.

*Solstitij æstiui tempus.*] *Hoc tempus atrobilarium est, & ex ambabus suis qualitatib. mortiferū: unde frigida utendū pro humectatione, et uino odorifero calefaciendum, Veneris lenocinio expuncto, cùm id magis mortificet, & Hippocratis calculo breuis epilepsia iudicetur: uel si eo utendum fuerit candidè, hoc est, temperata contingat.* Coitus lædit.

Hoc æquinoctij autumnalis tempore, pituita & tenues fluxus in hominibus abundant, ad uergilianum usque occasum, oportet ergo tum fluxiones cohibere, & acerrima quæque succosissimaq; esitare, & quàm minimum potest fieri uomere, sedulò corpus exercitare, & concubitum deniq; pro uiribus fugitare. Numerantur autem ab eo æquidiali usq; dum uergiliæ occidunt, dies triginta sex.

*Hoc æquinoctij autumnalis tempore.*] *Hoc tempore acerrimis utendum docet, quæ constringendo uias obstruunt, & lapsus tenuium humorum impediant, uomitu ablegato: nimirum* Hippocrati *subscribens, qui uomitionem in æstatem differendam hortatur quarto* Aphorism. *sexto, quando graciles & facilè uomentes purgandos supra curabis, cauendo hyemem, similem sententiã* Auicen. *primi cap.* 4.

Sub uergiliarum occasu augetur in hominibus humor pituitosus ad solstitium usque hyemale. Sumenda sunt igitur cibi loco maximè acerba, uina dulcissima, utendũ præterea præpinguibus, exercitandum strenuè. Sunt uerò ad brumam usque dies quadraginta quinq;.

*Sub uergiliarũ occasu.*] *Vina dulcissima, hoc est suauia, & grata: & præpinguibus utendum, quæ digestioni persæpe alio tẽpore resistunt. Tamen quia hoc pleiadum occasu uentres* Hippocrati *calidissimi censentur,* Diocles *ea mẽsæ adhibenda cõcedit,* 1 *Aphor.* 15. *Quomodo idem* Hippocrates *annũ in partes describat, tertius liber de Victus ratione, statim in principio dilucidè commonstrat.*

HIP-

# HIPPOCRATIS COI

OMNIVM MEDICORVM FACIlè principis epistola, ad regem Ptolemæum, de uera hominis formatione, & amissæ sanitatis recuperatione: per Antonium Codrum Vrceum, oratorem & poëtam Florentinum in heroicum carmen uersa.

*Sic scripsit epistola magni*
*Hippocratis regi Ptolomæo ita præcepit ille.*
*Quatuor hîc totus mundi componitur orbis* — Mundus ex quatuor.
*Seminibus, lympha, ac terra, simul aëre & igni,*
*Hoc est humenti, gelido, sicco, calidoq;*
*Ipsum hominis corpus constat quoq; quatuor ijsdē,* — Ex quibus homo creatus.
*Sanguine, pituitaq;, & flaua bile, nigraq;.*
*Vndæ pituita est similis, uerùm ignea tota est*
*Flaua chole, aërius sanguis, terrestria bilis*
*Atra sapit, sic sunt similes & mundus homoq;.*
*Et sicca, & calida est bilis, quæ flaua uocatur,*
*Aduersum est huic phlegma, calet, sed sanguis & hu* — Quæ humorū qualitates.
*Huic bilis penitus pugnat contraria nigra,* (met
*Et uarios redolent eadem hæc elementa sapores.*
*Salsum phlegma sapit, sed cerula bilis acerbum,* — Sapores.
*Nigra gerit tristem, gaudet dulcedine sanguis.*
*Rursus habent uarias sedes hæc semina, cordis* — Quę humorū in corpore sint conseruacula.
*Sanguis habet latebras, & spiritus ambit easdem:*
*Hepar flaua chole, splenem nigra, phlegma cerebrū*
*Verùm ex corde capit, uena omnis magna cruorem.*
*Quæq; graues pulsu motus arteria signat,*

Et cordi rubros humores suggerit hepar,
Sic nunquam sociaq; fide, socioq; calore
Deserit hoc illud, neq; enim ualet igneus absq;
Viuere materia calor, & producere quicquam:
Pars hominum rident, pars contristantur, & ille
Desipit, iste sapit, casas age, præcipe, dicam

Singularum complexionū proprietas.

Sanguine qui puro feruent, hij carmina læti
Florentesq; canunt, & pulchro corpore præstant.
Ira, furor, lentigo, notat quos cerula bilis
Poßidet, atra pigrum, tristem, timidumq; figurat:
At qui pituita uel aquoso phlegmate abundant,
Frigoribus pleni, sputoq;, colore sub albo

Temperies cerebri, causa bonæ memoriæ.

Cur sapiant homines, memori cur mente probātur?
Temperies cerebri causa est, ne iustius æquo
Frigeat, aut caleat. nam si perfrigeat usq;

Quorundam morborum causæ.

Nascuntur penitus cunctarum obliuia rerum,
Paßio cur oritur, quæ Græcis dicta phrenetis?
Intestinorum mittunt incendia nanq;
Et uapor ascendit cerebri, perit humor, & ipse

Cura phrenisis.

Insipiens fit homo: quare medicina paretur:
Sed propera, cerebrum frigenti aspergine prōptus,
Naribus aut alia defendas parte, necesse est.
Si uerò lethargus erit, nanq; hic quoque morbus
Est cerebri, quando gelidus super humor abundat,

Cura lethargi

Vtere tunc rebus calidis, hisq; cinge cerebrum.
Hinc alia exoritur pestis paralysis Achæo
Nomine, sed labium aut oculum capit ignea sæpe,

Cura paralysis.

Et medium aspectus totum auxiliare crebro
Per nares, calidosq; illinc extrude uapores:
Siue secundum aures prudens cauteria mitte,

In cerebrum quæcunq; uenit pestis, trahit illa
Principia à stomacho, uelut hoc putrida ulcera
Schinodes, dẽtisq; dolor ophthalmia, brãchus pãdũt
Et staphile, & dispnœa, nocensq; perischimia collo
Quinq; caput retinet suturas, sed reperire
Est solidum unius suturæ & tempore sanum.
Verùm age, dic habeat crispos cur ille capillos,
Hic planos, alijs cur sit caluaria nudis.
Si calor in cerebro est, crispos gerit ille capillos.
Hic pectit planos, huic si super humor abundat,
Si siccum caput est, fit turpe & inutile multis
Caluitium, flauos crines dat cerula bilis.
Caluitij uerò species lego quinq; notari,
Hæc sunt lata, breuis, densa, ac hirsuta, uocemus
Et mediam, tumidus facit hæc discrimina pulmo.
Nunc dicenda tibi est triplex digestio, sumit
Hanc iecur, & prima est ubi sanguinis ipsa creatur
Prosthesis, huius erit cor sedes, sume secundam
Corporis hæc nutrit partes, iecur, hinc generatur
Fel croceum, splen uerò capit de corpore siccum.
Inde melancholicus fit chymus, at ipse cerebrum
Humectat stomachus, tunc phlegmatis extat origo.
Tertia quæ superest decoctio, succus in ipso
Fit stomacho sursum, tunc panditur infima porta
Ventriculi, transitq; cibi fex inde, petitq;
Inferiora alui: sed uenter phlegma supernè
Mollificat propter nimis aspera cibaria, uerùm
Per renes urina means descendit, & ipsas
Vesicæ ingreditur partes. hinc inde trahentes
Quinq; hominis sensus sunt, uisus, tactus, & ipse

Affectus cerebri à stomacho.

Capillorum ratio.

Vnde caluicies, & quos species.

Virtus digestratio.

Vrinæ meatus qui.

Quinq; sensuum origo.

Gustus, odoratus, nec non auditus: ab igni
Hic pendet, tactus de terra, ex æthere uisus,
Aër odoratum donat, res humida gustum.

Potentiæ animæ quinq;.

Quinq; potestates animam quis habere negabit?
Cogitat hæc, sentit, reminiscitur ista uel illa.
Rursus opinatur, rerum phantasmata uersat:
Sed quoniam uarijs his septem partibus ipsum

Ex quatuordecim homo constituitur.

Compositum est hominis corpus, dicamus & illas
Neruus, uena, caro, necnon arteria, sanguis,
Cartilago, unguis, pilus, humor, pingue, medulla,
Pellis, phlegma hominũ faciunt cum pneumate totũ

Quæ uiris sordium emunctoria.

Euacuant sordes uiris hæc omnia pellunt,
Sudor, sputa, aures, aluus, uesica, Venusq;
Et uomitus, oculi, nasus, pilus ipse, poriq;

Quę mulieribus.

Adduntur nuribus super hæc duo menstrua, lacq;
Lac semenq; uiri de sanguine dicimus esse.
Egreditur sanguis, sentit si mamma dolorem

Spõdiles dorsi uigintiquatuor.

Spondilia in tergo quot sint, dic quæso uirili
Bis duo dena, latus tot munit pectora costis.

Dentes quot homini.

Dentibus octo quater gingiuæ armantur & ora
Simplicibus pars anterior, postrema molares
Ipsa tenet, stomachum mensurant quinq; palæstæ,

Enterõ tredecim ulnas.

Et tres atq; decem complectitur enteron ulnas.
Scire cupis forsan digitorum nomina, dicam

Digitorum nomina.

Ordine: sunt pollex, index, medius, medicusq;
Cum minimo, siccus uerum est & frigidus unguis,
Nunc age, solaris sunt tempora quatuor anni:

Quatuor anni sunt partes.

Ver, æstas, autumnus, hyems, sunt humida ueris
Tẽpora sed calida, atq; hoc propter sanguis abũdat.
Sicca quidem est æstas, multoq; calore perurit.

Hoc

Hoc ideò in nobis augetur cerula bilis,
Frigida cum ſiccis autumnus tempora miſcet:
Nigra chole augetur, ſanies & aquoſa cruenta.
Pituitam producit hyems, quæ friget & humet.
Sic elementa regunt diuerſis quatuor anni
Partibus, inter ſe cum corpore tempora noſtro,
Solarem idcirco circunſpectare neceſſe eſt
Curſum, & temperiem qua conſtat quilibet æger,
Sicq; ſalutares membris adhibere medelas.
Si uerè ægreſcat iuuenis, tunc ſanguis abundat.
Hinc opus eſt uenis punctis haurire cruorem.
Si pleuritis erit, uel prima luce, duabus
Vel tribus euacues uenas, concepta priuſquam
Paßio conualeat, uel uirtus debilitetur
Corporis: hæc multum prodeſt purgatio cunctis.
Tempora ſi cupias, quæ ſint incidere uenas
Optima ſcire, feram, media Februarius ut iam
Parte ſui menſis deceſſerit incipe: rurſus
Poſt decimam lucem Septembris tempora ſuadent,
Donec ad extremum peruenerit ipſe December
Solſtitij. ſed ſi cubare coëgerit æſtas,
Te purgare ſtatim, bone uir, mihi crede, memento
Iam feſſus ſum, parce mihi, reſtantia dicam
Cras tibi, & abſoluam uitæ bona nutrimenta.
Et quo quenq; cibum liceat conſumere menſæ.
Et ſi contigerit uenas incidere, ſanguis
Quid uenetus, uiridiſq;, nigerq;, alijq; humores
S gnificent, uitæ & mortis prognoſtica ſcribam
Vt libet, ut gratum eſt: uerùm uenerande magiſter,
Arbitrio me trado tuo, benè uiue, ualeq;.

Temporum qualitates.

Quæ cura iuueni adhibenda.

Quod tempus phleboth. cōueniens.

# REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

domino Ioanni, diuina fauente clementia abbati monasterij diui Petri Hercineæ syluæ, domino suo gratioso Georgius Pictorius Willinganus doctor medicus S. D.

*Contigit nuper, ut inter uiros non imi subsellij literatos, tui fieret tam honesta mentio (reuerende pater) ut omnes qui præstò fuerant, summo consensu, & uno (quod dicitur) ore, te sic animi bona fortunæ affluentijs anteponere narrarent, ut quisque, ni fungus sit seu bardus, citra puluerem facilè intelligat tibi persuasum haberi, à* Deo *optimo max. humani corporis fabricam animi causa, non animum, qui diuinis participat, corporis causa creatam: quodq; firmius, Apuleij forte* Platonici *suasu, interiorẽ hominẽ, qui animus est excolẽdũ duxeris, quàm fitile hominis corpus, terrestri feculẽtia contaminatum.* Ad *quæ statim cogitaui (reuerẽde pater) te Cimmerijs rerum mundanarum abactis nebulis, extra tui ordinis homines diuinitùs illustratum: atq; nimirum omnia, quæ à doctis proficiscantur, ulnis (quod aiunt) obuijs amplexurum: maximè quum animum excolere aliud nihil sit, quàm optima capessere, ac ingenuas disciplinis, quæ bonã uiuendi præscribunt methodum exosculari atq; fouere.* Et *confestim incidit tibi hanc* Arnoldi *Catalani uictus rationem,*

tionem,

tionem, ut illi qui tanti operis pro suo candore & magna eruditione precium nouerit offerre, donare, & dedicare, Arnoldi quidem philosophi & medici, quem maximus Christianæ ecclesiæ pancratiastes diuus Augustinus libro suo Confeßionum, nō saltem philosophiæ secularis principem fuisse scribit: sed etiam diuinæ, qua Sarracenis crebras instantias intulerit. Accipe igitur antistes spectatißime, solito candore hoc quale quale est Pictorij clientis munus, eo fruere: hoc est, quum à uersandis negotijs feriatus fueris, lege, ac pro sanitate tuenda ad manus habe. Optimè in Domino uale pater & heros amplißime, ac Pictorium in tuam clientelam adscribere dignare. Datæ Ensisheimij superioris Alsatiæ, à Virginis partu anno sesquimillesimo sexagesimo, die mensis Septembris nona.

# ARNOLDI CATALANI, MEDICI ERVDITISSIMI, ad inclytum regem Aragonum, de ſanitate conſeruanda regimen.

*PRima pars uel cõſideratio ſanitatis cõſeruãdæ pertinet aëris electioni: nam inter ea, quæ neceſſariò adproximant humano corpori, nihil eſt, quod immutet fortius ipſum, quàm id quod per os & per nares, ad cor & ad arterias inſpirando peruenit cum qualitatibus ſuis, & per omnes arterias immiſcetur ſpiritibus cordis, per quos omnes actiones uitæ corporalis perficiuntur. Ideo regalis prudentia, quæ ad propriæ ſanitatis cõſeruationem ſtudere debet, propter ſalutem regni nunquam negligat, quantum facultas concedit, eligere aërem ad habitandum tam in partibus regni, quàm in manſionibus locorum, ad quæ inhabitãdum declinat. Nam cùm in ea parte regni eligit diutius habitare iuxta differentias partium anni, qua ſalubrior ſeu purior uiget aër, dupliciter prouidet utilitati communi. Primò quidem in conſeruatione propriæ ſalutis, à qua deriuatur ſalus totius multitudinis, cui præeſt. Secundo uerò quoniam prouidet multitudini, quæ ad præſentiã confluit, de conſeruantibus ſanitatem: non ſolùm autem corpori eſt accommodus aër purus, ſed etiam menti. Nam omnia mentis opera ſiue in apprehendendo, ſiue in iudicando, clarius & perfectius*

Nihil immutat corpus fortius quàm aer

Regum eſt aërem bonum eligere.

Aër non ſolùm corpori confert.

fectius exercentur in aëre puriori. Ex qua consideratione conseruationis etiam non modicè regis prudentia sublimatur. Cùm per hoc publicæ utilitati prouideat, ualde in procurando claritate cognitionis & industriæ naturalis, non solùm in mente propria, sed totius consilij: unde manat gubernationis influentia toti regno, ad quod bonum procurandum quantũ ei poßibile fuerit, ipse rex obligatur ex propriæ maiestatis officio, cùm non tantùm naturalibus documentis, sed quotidianis constet experimentis, quòd aëris impuritas atque großities ingenium hebetat, apprehensionem obtundit, iudicium obscurat, cogitationes infatuat, & obliquat affectiones. Ea igitur pars ad habitandum diutius eligatur, ubi fuerit in substantia purior aër, & in qualitatibus temperatus, iuxta differentiam temporis. Nam in æstate quærendus est purus, & ex circunstantijs habitationis declinans ad moderatam frigiditatem, & è contrà in hyeme. Vbi autem purus est aër, ibi uer & autumnus existunt in qualitatibus temperati. Sed quia frequenter contingit, quòd ubi purus est aër, subitis uentorum flatibus agitatur, ideò tunc corpus rarum de facili læditur alterationibus repentinis, cùm leuiter ad eius interiora penetret uentus, maximè si flauerit ueluti per canalem, propter quod expedit in locis uentosis, densis uestibus operiri. Sed cholericis atque sanguineis congruit uestis ex lino, uel serico interclusa bombace. Nam talis uestis sanguinem non inflammat, nec æstuare facit, & à uentorum ingressu partes protegit circũtectas. In man

Quid rex ex officio debeat

Aëris impuritas ingenium hebetat.

Quis aër eligendus.

Purus aër uer facit & autũnum.

A uentis corpus rarum læditur.

De uestitu cholericis & sanguineis.

sione

*sione uerò quæ præcipuè deputabitur ad iacendum, uel ad dormiendum, cauebitur, ne sit aër conclusus, & non habēs libera spiracula, sicut in aliquibus domibus testudinosis, & quæ parua & pauca habent spiracula, uel reumaticis, sicut in subsolarijs, quorū solùm non pauimentatum. In talibus enim mansionibus aër est nimis grossus & humidus, & iacentes, maximè dormientes, in eis multum grauantur in capite & pectore: facit enim eos obtusos, pigros & somnolētos. Cor cōstringit, anhelitū indurat faciendo respirationē difficilem, & uocē amputat uel obscurat. Propterea si necessitas urgeat in tali domo iacere in hyeme, subtilietur & depuretur aër cū igne, maximè facto de uitibus siccis, aut roremarino, uel brusco, uel similibus, sed lignis non fumantibus, sed facientibus flammam claram. Æstate uerò cuncta spiracula teneantur aperta, neque solùm irrigetur, & in ea parte iaceatur, per quam liberius ingredi potest aër: & si sterni debuerit uirentibus plantibus, caueatur ne sint aquosæ ut iuncus grossus: sed bona & mollis herba, scilicet mirto et salice, aut similibus & talis domus poterit in hyeme cum lignis iuniperi, uel cipreßi, uel ligno aloës suffumigari, aut thure. Æstate uerò cum sandalis, aut folijs mirthi siccis, aut uirgis eius, uel rosis siccis, quibus etiam si copia suppetat, solùm sternatur, aut sacelli repleantur ex eis & collocentur circa puluinar lecti. Cùm autem frigora cogent uti beneficio ignis, cauendum erit, ne nimis adproximetur, aut diu sedeatur ad ipsum, & maximè sumpto cibo, & uultu opposito. Nā rara corpora*

Habitatio habeat multa spiracula.

Aeris correctio in hyeme

Fumus obest.

Correctio hyemis tempore.

Sacelli ad puluinaria.

Ad ignem stare lædit.

pora adpauperat ſpiritum, & eorum impedit digeſtiuam, & hebetat uiſum, & acuit ſanguinē, & cauſat uertiginem, ſed dorſo ad ignem conuerſo, eius beneficium moderatè ſumatur. Si uerò fuerit coram oculis, & maximè propè conuenit aliquid prope oculos interponi.

## DE NATVRALI EXERCITIO. Cap. II.

Poſt conſiderationem aëris, conſideratio ſequitur exercitij, quoniam naturaliter debet refectionem præcedere propter duo: quorum unum eſt, quia calorem excitat ñaturalem, per quem eſt cibi digeſtio celebranda: unde expedit, ut cibus qui ſumitur, eum inueniat excitatum, non ſopitum. Aliud eſt, quia ſuperfluitates corporis reſoluit, & præparat expulſioni, quibus in corpore manentibus, natura membrorum ſuas nequit perficere operationes. Etenim calorem naturalem obtūdunt, & meatus impediūt, per quos debet alimētum tranſire: unde natura corporis impedita manet, donec ſuperfluitates cibi præteriti fuerint excluſæ perfectæ. quamuis autem groſſæ ſuperfluitates, ut inteſtinales & ueſicales ab aliquibus corporibus egrediantur abſque exercitio: tamen ſubtiles, quæ per poros cutis habent expelli, & quæ ut plurimùm aggregantur in lacertis membrorum, & inter cutem & carnem, rarò niſi per exercitium forte educuntur à corpore ſano. Tum quia rarò ſudat, tum quia rarißimum eſt, quòd aliquis ita parcè uiuat, ſiue cibetur, quòd calor naturalis poſſit membrorum ſuperfluitates propter paucitatem

Exercitium dupliciter præcedat refectionem.

Exercitiū ſuperfluitates reſoluit.

Superfluitates intercutaneæ per exercitiū educuntur.

conſu-

consumere. Vel quod ita fortis sit, quòd poßit quascunque superfluitates uastare. Congruit igitur ante cibum exercitari, sed comedentibus parum sufficit exercitium modicum. His autem qui copiosè reficiuntur, magis est necessarium, & è contra: nam his qui parum exercitantur, sufficit modica leuisq; refectio. Illis uerò qui multo & forti exercitio corporali utuntur, copiosa & grossa debetur refectio. His uerò attentis & prandio & cœnæ præmittatur exercitium moderatum & uniforme: moderatum quidem est, ex quo alacrior quis efficitur, & membra etiam leuiora. Nam si doluerint, aut inde fatigata permanserint, proculdubio fuerit immoderatum: & ideò cùm fatigatio inchoat, cessandum est ab eodem. Vniforme uerò dicitur, quando inferiora & superiora proportionaliter exercitantur, siue peditando, siue equitando, uel aliter exercitium peragatur. Vnde qui in peditando exercitantur, debent aliquando inclinari ad colligendum manibus aliquid placidum, uel optandum. Equitans uerò siue ascendendo, siue descendendo, siue mouendo equum, non solùm pedum colūnas, sed dorsum mouet & manus & brachia, maximè si uenationi dederit operam: illa tamen in proposito motus, species ad exercitium eligi debet: per quam semper illæsa permaneat regalis maturitas & honestas. Quapropter ludus pilæ, uel lancealis, aut luctæ cum coætaneis nullo modo regiæ congruit honestati: quoniam personam ipsius contemnibilem reddit, & istud publicæ honestati nimirum derogat.

Parum comedentibus paruum exercitium.

Quibus copiosa refectio.

Exercitium quod moderatum.

Canon.

Exercitium quod uniforme.

Rex cum coętaneis non ludat.

## DE BALNEO. Cap. III.

Post cōsiderationem exercitij, balnei cōsideratio sequitur: ideò quia defectum supplet ipsius. Nam in regimine sanitatis illi solùm balneantur, in quibus propter immißionem exercitij, & copiosam refectionem, multitudo superfluitatum aggregatur in lacertis & intercutaneis regionibus, aut illis quibus præ multitudine sudoris, in exercitio uel alia causa lotio corporis est necessaria. Et ideò balneum stuphæ competit primis ad prouocandum sudorem. Alijs uerò balneum aquæ ad abluendum: sed in proposito neutrum balneum locum habet. Nam corpori temperato uel sanguine abundanti, si moderatè cibetur, & moderatè exercitetur, nec congruit sudare, nec necessarium est ablui propter sudoris uestigia. Quòd si propter eius exercitiũ sudoris prouocatiuum, aliquando sequeretur neceßitas abluendi: cauendum est, ne corpus mergatur in aqua notabiliter calida, sed sit tepida, uelut illa quæ solis feruoribus in æstate calescit, & rosæ unico feruore bullita proijciantur in balneum.

Quibus balneandum sit.

Stupha quib. utilis & bona

Balneum non sit nimis calidum.

Balneo rosæ addendæ.

## DE ABLVTIONE PEDVM ET capitis. Cap. IIII.

Columnæ tamen pedum ad conseruationem synceritatis uisus & auditus, atque memoriæ, sæpe lauentur & fomententur cum aqua moderatæ caliditatis, & talis lotio fiat in sero circa introitum lecti, diebus illis, in quibus cœnare non contingit. Lotio uerò capitis non tardetur ultra uiginti dies, nec in hebdomada plusquàm semel fiat, & nunquam sto-

Lotio pedum uisum & auditum cōfortat.

Lotio capitis semel in hebdomada.

macho repleto: sed ante prandium, uel longè post ipsum, & ante cœnam, si proponatur cœnare.

## DE CONSIDERATIONE REfectionis. Cap. V.

Cur refectio post exercitiũ

Post considerationem exercitij & balnei, sequitur consideratio refectionis duplici ratione: quarum prima est, quoniam exercitium corpus inanit, & inanito corpori debetur refectio. Secunda uerò est, quoniam exercitiũ inaniendo prouocat appetitum cibi, qui nominatur fames, quæ nihil aliud est, quàm preco naturæ, ad indicandum necessitatem cibationis. De corpore nanque sano tunc certum est, quòd indiget cibo, quoniam manifestè famescit. Et ideò specialiter habentibus temperatum corpus, & sanguinẽ abũdantẽ præ alijs, non expedit sumere cibũ, donec esuriãt: natura enim membrorũ nõ amplectitur quod nõ appetit, sed respuit ipsum. Et ideò cibus qui sumitur sine appetitu, naturæ uelut grauis sarcina fertur à stomacho, & ab alijs membris: propterea magis corrũpitur in eis, quàm cõuertatur in ea. Nam cùm natura respuat ipsum, uel conatur, tepidè in suam substantiam conuertit. Quam ob rem patet ex his, quòd sanis corporibus in qualibet parte anni, nulla secundum naturam, est alia congrua hora cibationis siue in prandio, siue in cœna, nisi quando natura cõmedere appetit. Et hoc testatur, quòd uulgaris obseruantia tempestiuè cœnandi non habet in sanis existentiam rationis, sed ex leui conceptu manauit imperitorum, ut obseruatur ex indiscreta consuetudine populari. Sumendus est igitur

Fames quid.

Qui corpus temperatũ habẽt, appetitũ expectent.

Cibus sine appetitu sumptus sarcina.

Comedendi cõgrua hora.

Vulgus errat, non expectãs appetitum.

cibus appetente uatura, nec diu etiam post esuritionem debet sumptio eius retardari, nisi quia sanctæ constitutiones ecclesiæ, uel honesta occupatio, aut religiosa deuotio, quandoque suggerunt ipsam esuriem tolerare.

*Fames nec toleranda.*

Debet etiam taliter mensurari cibatione stomachus, tensione ne grauetur.

*Stomachus cibo non grauandus.*

Sicut enim nocet cibus sumptus ante tempus prædictum, sic etiam nocet, si sumatur immoderatè: ad quod uitandum expedit, ut duo uitentur. Primum est imperfecta masticatio, per quam fit magna naturæ iniuria, cùm non reddatur ei, quod ex prima institutione ei debetur.

*Imperfecta masticatio uitanda.*

Ad hoc enim dentes sunt à natura ordinati, ut perfectè cibus minuatur, antequàm transmittatur ad locum digestionis. Cùm ergo cibus non est liquidus, aut per artificiũ cõminutus, ualde naturam sui corporis defraudat, qui suis dẽtibus perfectè non conterit.

*Cur dentes à natura dati.*

Nam aptitudo conterendi nec stomacho, nec cæteris membris interioribus est concessa: quapropter necesse est ut lædantur à cibo imperfectè masticato, cùm nequeant supplere defectum contritionis.

*Nota.*

Læduntur autem à cibo imperfectè masticato dupliciter: primò, quia plus inde sumitur ex quadam deglutiendi uoracitate. Secundò, quoniam cibus deglutitus imperfectè digeritur, & per consequẽs corpus ad multas præparat passiones: & ideò uoraces frequenter ægrotant, & nunquam ad naturalem proueniunt senectutem.

*Lenta masticatio bifariã lędit.*

*Cur uoraces subinde ęgrotent.*

Secundum aũt quod metu reiectionis immoderatæ debet uitari, est uarietas ferculorum in una mensa, & maximè si fuerint delicata, citius enim laxatur, & deficit appeti-

*Varietas ferculorum uitanda.*

Saporũ blandimenta nocent.

*tus in sumptione unius cibi quàm diuersorum, quoniam blandimenta saporum prouocant eum ad plus sumendum quàm stomachus poßit digerere: præter hoc etiam quando difformitas ferculorum est tanta, quòd unum est facilis, reliquum uerò difficilis digestionis, necessarium est ut debita nutritio membrorũ impediatur: quia cùm prius digeratur unum quàm aliud, & commisceantur adinuicem, aut cum digesto dilabitur indigestum, aut si usque ad perfectam digestionem alterius remanserit, corrumpetur, ueluti si carnes pullorum insimul decoquerentur & uaccinæ.*

Difformitas ferculorum mala.

Propter uarietatem ferculorum digestio bifariàm impeditur.

*Accidit etiam quòd quando fercula uaria multa sunt numero, duobus modis perfectio impeditur digestionis. Primò, quòd comedens ad frequentius potandum inducitur. Frequens autem potus digestionem impedit, quemadmodum quando frequenter superfunditur aqua ollæ, impedit eius feruorem.*

Frequens potus digestionem impedit.

*Secundò, quia inter primum ferculum & ultimum, magnum est interuallũ: propter quod inchoata digestio primi, à cruditate superuenientium impeditur: quæ omnia nocumenta uitãtur per sumptionem unius ferculi tantùm, aut duorum ad plus, dum tamen inter ea non cadat notabile interuallum, & quòd non sint ualde difformia quantùm ad habilitatem digestionis.*

Qui paucis cibis utuntur, uiuaces.

*Et ideò qui paucis cibis uescuntur, ad extremam & mundam perueniunt senectutem. Qui uerò studẽt ad multitudinem ciborum incarcerãdam uel ante senectutem extinguẽtur, uel eorum senectus intempestiua erit, & ualde immunda, sicut in habitatoribus Septentrionis frequenter occurrit.*

Septentrionales citò senescunt.

occurrit. Non solùm aũt mora refectionis & quantitas, sed etiam qualitas ciborum debet attendi: sic scilicet ut illi sumantur, qui corpori congruunt, secundum exigentiam naturæ ipsius & temporis: & qui non congruunt, euitentur. Vnde qui naturaliter dispositus est ad patiẽdum fluentes hæmorrhoidas & pulsantes, uitare debet acuta, & salsa, & nimium dulcia, & quæcunque constipant: de quibus infrà dicetur in speciali. Nunc autem conuenit de regimine potus in generali tractare, circa quod natura breuem præbet sanis corporibus regulam, scilicet ut potetur, quando ipsa requiret: hoc est, quando ueram sitim aliquis patitur. Tũc est autem uera sitis, quando in ore stomachi percipitur æstuatio, quod nunquam in sanis corporibus nisi sumpto cibo cõtingit. Vnde cùm talis sitis est manifesta, sumendus est potus, & sobriè, qualis naturæ corporis & temporis debetur. Est enim in proposito cauendum, ne sit uinum acutum, uel igneum, aut grossum & dulce, sed in æstate album uel roseum, in hyeme subrubeum et in substantia semper clarum atq; subtile, cuius sapor est simplex & amicabilis, & odor suauißimus. Et ex talibus eligantur semper debiliora, quæ minus possunt tolerare aquæ mixturam. Corporibus autem temperatis, & sanguineis & cholericis, utilius est bibere uinum debile naturaliter cum modico aquæ, quàm uinosum fractũ cum multa aqua. Sic igitur in proposito patet, quod expedit omnino uitare uina, quæ conficiuntur gypso uel calce, uel quæ conseruantur in uasis pice linitis. Et eadem ratione

Hemorrhoidas patientis dieta.

De potu methodus.

Vini qualitas

Vinum naturale debile cũ aqua bonum

Vina gypso, calce aut pice seruata nocẽt.

uitandum est nectar, nisi conficeretur secundum formam inferius positam: patet etiã ex prædictis quòd uinum nouum perfectè clarificatum, est in proposito ueteri semper utilis. In siti uerò mẽdosa, in qua non æstuat orificium stomachi, sed guttur arescit, uel os aut palatum, propter puluerem aut motum, aut aëris calorem & siccitatem, non expedit bibere: sed sufficit gargarizãdo uino benè lymphato, aut aqua prædictas partes humectare & emendare: uel si magis placeret, succosos fructus masticare & abijcere, uel modicum succi deglutire propter gutturis ariditatem erit expediens.

Vinũ nouum uetus excellit.

Sitis mendosa quæ.

Non semper in siti bibendum.

## DE DORMITIONE ET CORPORIS tranquillitate, Cap. VI.

Post refectionem naturali ordine quiescere conuenit atq; dormire. Cibus enim ad hoc recipitur, ut digeratur, & digestus conuertatur in membrorum substantiam. Digestio uerò cibi, & maximè in stomacho, ubi recipitur cum totalitate suæ difformitatis, ad membra nequit compelli, nisi calor naturalis, per quem digestio celebratur, quantum poßibile est coadunetur, circa locum digestionis. Quapropter moderatè refectis, non conuenit sumpto cibo deambulare, uel laborare, uel etiam uigilare: maximè si corpus eorum nõ abundauerit naturali calore, quoniam in motu & labore distrahitur calor ad mẽbra, quæ motu exercitantur. Similiter in uigilãtibus, dato quòd non mouerent columnas pedũ & manuum, nihilominus ad organa sensuum, ut auditus & uisus, & ad ipsum cerebrum, ubi meditationis operatio ex-

Super cibum quiescendum & dormiendum.

tio exercetur, calor enim naturalis distrahitur, quoniam sine ipso nulla uitæ opera possunt in corpore perfici. Quæ omnia rectè considerantes philosophi, dixerunt concorditer, quòd potior hora maioris refectionis ad conseruandum sanitatem, est uespertina, propterea quia nox refectioni succedit, ex qua tria bona proueniunt necessaria digestioni perficiendæ. Primùm est frigiditas aëris. Etenim in aëre frigido fortior est digestio quàm in calido, quoniam per frigiditatem aëris coadunatur calor naturalis in clibano corporis, & per calorem ipsius aëris disgregatur uersus exteriora, propter quod homines ut plurimum comedunt amplius in frigidis habitationibus & in hyeme. Secundum est tranquillitas mentis & corporis, quoniam de nocte cessant meditationes & occupationes diurnæ. Tertium est somnus quietus: nam sub silentio noctis nec strepitu, nec clamoribus interrumpitur, nec occupationibus impeditur, nec luce feriente oculos breuiatur. Igitur qui moderatè reficitur sumpto cibo sedeat, & quiescat tam mente, quàm corpore, & sedendo audiat non amara neq; subtilia: sed placida, quæ fuerint facilis intellectus, ut sunt regum & sanctorum historiæ, uel musices melodiæ. Cùm autem somnus aduenerit, protinus dormiat: sed de die, maximè in æstate, dormiatur in loco frigido et obscuro & tranquillo, dum tamen non sit rheumaticus. Pedes quoq; discalceantur, & cooperiantur: nam dormire calceatis pedibus & tibijs, maximè in æstate, fumos reflectit, & corpus æstuare facit & inquietari, pro-

Calor operationis minister.

Nox somno conueniens.

Ex nocte tria bona.

In frigidis habitationibus plus comedunt.

Post refectionem sedendū.

Discalceatis pedibus dormiendum.

pter quod impeditur digeſtio, uiſus obſcuratur, & mens hebetatur. Cooperiendi uerò ſunt, ne nimium infrigidentur. Et ſimiliter caput in ſomno, plusq; in uigilijs eſt cooperiendum: nam cùm calor naturalis in eo coadunetur circa mediam corporis regionem, extrema manent modico calore munita, & ideò tunc facilius poſſunt à frigore lædi, maximè ſi ſit aër frigidus, quaſi per canalem propulſus, à uentis percutiet membra. Propterea cauendum eſt, ne in directo capitis, feneſtra uel ſpiracula ſint aperta.

Somni decubitus.

Qui uerò ſani ſunt corpore, debent in primo ſomno ſupra dextrum latus dormire, ut hepar quod circa corpus abundat naturali calore, ſubiaceat ſtomacho tanquam ignis ſuppoſitus lebeti.

Post primum ſomnum aliquibus non dormiēdum.

Cùm autem fuerit primus ſomnus expletus, non eſt neceſſarium his qui temperatè reficiuntur, amplius dormire: ſed ſi quandoque plus debito ſumeretur, aut aliquid quod eſſet graue ad digerendum, tunc dormiens non excitetur à primo ſomno propter perfectionem digeſtionis: ſed propter ſtimulũ ſuperfluitatis aggregatæ in mēbris, ſicut urinæ in ueſica, uel fumorum in lacertis, aut ſcreatus in pectore uel ſimilium, quibus expulſis iureiurando, uel tuſſiendo, uel membra extendendo adhuc expediens erit ad ſomnum redire, quod perpendetur ex ponderoſitate capitis, ex grauedine palpebrarum: & tunc, ne fumus cōcluſus hepar ſupercaleſcat, conuenit iacere ſuper latus ſiniſtrum: nam cibo ferè digeſto, multò minor calor ſufficit ad perficiendum digeſtionem, quàm crudo.

Denuò ſuper latus ſiniſtrũ.

Decubitus ſupinus malus.

Supinus autem nũquam debet ſanus dormire, ne ſuperfluitates, quæ

fluunt

fluunt ad palatum & nares, refluant ad cerebrum, & submergant memoriam: sed excitatus à somno, potest stare supinus, parum quiescere ad membrorum æquationem, & maximè iuncturarum spiritalium. Similiter sanis, & habentibus stomachum calidum uel temperatum, non expedit supra uentrem dormire propter ceruicis contorsionem, & stomachi compreßionem. Illis uerò quibus propter frigiditatem stomachi est necessariũ, præcipitur, ut supra mollißima puluinaria uentrem collocent, & ut ingenientur quantò minus poterunt collum torquere, licet melius esset uentri ceruical mollißimum & calidum applicare, & brachijs amplecti, uel cum lata fascia linei panni superfirmare, ut in somno adhærebat. Sicut autem qui moderatè reficiuntur, non expedit sumpto cibo deambulare, sic est immoderatè refectis expediens priusquam dormiant, deambulare suauiter, atq; diu, quousque depressum fuerit pondus orificij stomachi, & cùm omnis refectus debeat in somno tenere caput & pectus cæteris partibus altiora, magis tamen hoc expedit immoderatè repletis, ne regurgitante cibo grauetur orificium stomachi, & per consequens caput, & membra spiritualia. Somno itaque expleto, studendum est diligenter emendare corpus à superfluitatibus multiplicatis in eo, non solùm per secessum aut urinando, sed etiam per alias partes, ut tußiendo, spuendo, & nares mungendo, caput pectinando, & faciem ac manus cum aqua tepida semper lauando.

Supra uẽtrem dormire nocet.

Post cibum non deambulandum.

Caput altius ponatur.

Post somnum corpus mundandum.

## DE ACCIDENTIBVS ANIMI. Cap. VII.

Suprà dictis igitur per ordinem obseruatis, scire conuenit insuper quòd animi accidentia corpus efficaciter mutant, seu alterant, & in operibus mentis faciunt manifestam impreßionem: & ideò quia nocua sunt, studiosè debent uitari, & specialiter ira & tristitia: quoniam ira supercalefascit omnia membra, & propter feruorem cordis omnes actus rationis confundit. Et ideò cauendæ sunt eius occasiones, nisi quantùm ex præcepto rationis aduersus illicita comitatur. Tristitia uerò corpus infrigidat, & exsiccat, propterea maciem & extenuationem inducit, & quia cor constringit, & spiritus obtenebrat, & ingrossat, ingenium hebetat, apprehensionem impedit, iudicium obscurat, et obtundit memoriam: & ideo uitanda sunt eius obiecta, nisi quantùm ratio persuadet ad detestationem uitiorum, & mentis pulchritudinem reformandam. Qui uerò multis curis & sollicitudinibus distrahuntur, & cerebro punguntur, gaudio sæpe uacare debent, & honestis solatijs ut animus refloreat, & spiritus recreentur.

Ira supercalefacit.

Tristitia corpus infrigidat.

## DE NVTRIENTIBVS SCILICET cibis & potibus. Cap. VIII.

Post generalia conuenit specialiter loqui de nutrientibus & remedijs contrà lapsis. Et inter nutrientia primò de cibis, secundò de potibus: sed quia ciborum quidam sumuntur in alimentum, quidam uerò in saporem & condimentum, ideò prius erit sermo de alimentis: quorum quædam sumuntur ex terræ na-

Cibus alimentum & sapor quandoque.

ræ naſcentibus: quædam uerò ex animalibus, licet animalia dignitate priora ſint plãtis, tamen quia materia ſunt animalium, ideò quòd nutriuntur ex eis: ideò terræ naſcentia priora ſunt animalibus per naturam & ratione nutritionis. Ex terræ uerò naſcentibus aſſumuntur in alimentum quinq; per ordinem, primò ſcilicet grana panifica, ut frumentũ, ordeum, ſiligo, milium, auena, panicum & rizum. Secundò, legumina: tertiò, fructus: quartò, folia olerum & herbarum: quintò radices, ut ſunt porri & cepe & cætera, quæ ſub terra ſuſcipiunt incrementũ. Frumentum autem coctum frequentari non debet, quoniam lumbricos multiplicat, opilationes generat & diſponit ad calculum in renibus & ueſica, & ſimiliter pultes de farina frumenti, & quicquid fit de paſta frixa uel elixa: & idem iudicium eſt de triquod, uulgariter dicitur alatria, & de amido, licet ſit leuius cæteris. Temperato tamen corpori non expedit iſtis uti. Et ſi fortè diebus ieiuniorum interdum placuerit ſumere, condiantur cum multo lacte amigdalarum, & prius fortiter coquantur. Simula uerò minus in prædictis omnibus eſt nociua, & adhuc colatura furfuris minus, quæ ſi prius cum multa coquatur aqua, deinde cum multo lacte amigdalato, erit in diebus ieiuniorum temperatis atque cholericis cibus leuiſsimus & etiam utilis. Vtilius tamen erit ferculum factum ex ordeo mundato, prius cocto uſque ad rupturam, deinde loto cum aqua frigida: poſtmodum piſtato, et cocto cum multo lacte amigdalarum uſque ad mediocrem denſitatem: talis enim cibus eſt

Cibus ex terræ naſcentes quinq; modis

De frumento.

Præparatio furfuris.

Ferculum ex hordeo.

ualde conueniens patientibus hæmorrhoidas pulsantes. Et simili modo fieri debet ferculum ex auena mũdata, si placuerit magis, licet sit utile minus quàm prædictum. Ferculum autem ex rizo si fiat cum multo lacte amigdalarum, semper est utile corporibus temperatis. Ad uitandam tamen uẽtris constipationem ultimò debent sumi. In prædictis omnibus est cauendum, ne uetustate sint corrupta, uel appropinquent corruptioni, & ideò farina & furfur, et simula, & triquod, plusquam septem mensibus reseruata, debent uitari à corporibus temperatis & cholericis: & amidum si plusquam duodecim menses habuerit, & rizum: si plusquam decem & octo mẽsibus fuerit extra corticem reseruatum & maximè in regionibus calidis. Generaliter uerò cauendum est, quòd si prædicta omnia fumosi odoris percipiantur esse uel acuti saporis aut terrei semper sunt uitanda.

Ferculum ex auena & rizo.

Canon.

Quot anni frumẽtis conueniant.

Canon.

## DE VSV PANIS. Cap. IX.

Panis autem semper debet esse mediocriter fermentatus, & salsus parum, & nequaquam farina imbibitus, & ad euitandam constipationem prodesset, ut sextam uel septimam partem furfuris contineret: tamen cauendum est, ne sumatur calidus uel induratus. Si uerò necessitas urgeret aliquando uesci biscocto, sumatur in principio remollitum in pingui brodio, siue fuerit pinguedo carnium aut dulcis olei oliuarum aut amigdalarũ. Et in diebus carnium frusta lardis bacconis cum eo sumantur, uel aliqua uentrem humectantia, de quibus infrà dicetur.

Panis cũ furfure bonus.

De biscocto.

## DE LEGVMINIBVS. Cap. X.

Legumina nunquam congruunt temperatis corporibus, quàm diu manēt in ſanitate, propterea conuenit in propoſito, ut eorum ſubſtantia uitetur, & maximè ſuccorum. Sed ſi de recentibus aliquando placuerit ſumere gratia nouitatis, expedit quòd coquantur cum zinzibere & croco, & in fine condiantur cū lacte amigdalarū, niſi cū pinguib. carnibus coquerētur, quia tūc nō oporteret addi lac amigdalarū. Et inter cætera legumina minus nociua ſunt ſanis corporib. piſa rotūda, & cicera & fabæ: & iſtorū etiā triū minus nociua ſunt piſa rotūda alba. Generaliter aūt quæcūq; ſicca ſine carnibus ſint præparata, debet cepe rotundū & album cōminutū frigi cum multo et dulci oleo, et eis adiūgi, & ultimo lac amigdalarum, & hoc eſt maximè neceſſariū, ſi faba debet comedi, & præcipuè ſi faba ſit fracta. Legumina uerò, quæ cum lacte animalium præparantur, omnino uitāda ſunt in propoſito: ſed in quadrageſima quando eſt diuturnus uſus opilantium alimentorum, ut piſcium & polentarum, utile eſt ad confirmationem ſanitatis in principio refectionis, interdum ſumere puretam cicerū aut piſorum: & hæc eſt illa aqua quā ſapientes cōmēdāt, ſcilicet ut cicera uel piſa in aqua dulci remolliantur per noctem, & in eadem ſequenti die bulliantur duobus aut tribus feruoribus, & tūc colentur, & colatura reſeruetur, & appropinquante hora refectionis addatur parum uini albi, & modicum de puluere ſpicæ nardi & croco & ſal in moderata quātitate, deinde unico feruore bulliatur & propi-

Legumina recētia qualiter ſumenda.

Quę legumina minus nocua.

Nota.

Piſces opilāt

Pureta quid.

propinetur in principio refectionis uel ad potandū, aut si magis placuerit, fiant offæ. tale nāq; brodium aperit, et mūdificat uenas capillares hepatis, & uias urinales, & ideò præseruat à calculo & ab harenis, præcipuè pisa uel cicera remolliantur, & coquantur cum aqua prædicta, cum petroselino. Vulgares autem nimis decipiuntur in eo, quòd credunt hanc utilitatem inesse brodio cicerum remollitorum in lixiuio. Nam tota substantia subtilis & aperitiua per primam remollitionem separatur exinde.

Nota errorē uulgarium.

## DE VSV FRVCTVVM.

### Cap. XI.

Fructus uīa cibi non conueniunt.

Vsus fructuum temperato corpori non congruit uia cibi, sed potius medicinæ, uidelicet ad præseruandum ipsum ab aliquo accedēte nociuo, quod ex concurrentibus potest timeri: & ideò moderatè conuenit ut eis utatur, considerata semper utilitate, quæ speratur acquiri per sumptionem ipsorum. Non enim ad uoluptatem sumendi sunt, sed ad utilitatem: nam uti fructibus ad uoluptatē, conseruationem impedit sanitatis. Est igitur considerādum, quòd corpora quæ fructibus utuntur, pro alimento debent in qualibet parte anni considerare, qualia poßint accidentia nociua incurrere, uel ex qualitatib. aëris, uel ex nutrientibus illius temporis, & secundum hoc uti fructibus magis congruit ad obuiandum accidentibus illis, & meliori modo. Quoniam igitur in æstate sanguis feruore aëris inflammatur, in ipso uerò autumno siccitate acuitur: ideò tunc expedit ad temperandum sanguinem uti fructibus frigidis & humidis. Si-

Nota.

Quibus fructibus utendum.

dis. Similiter quãdo æstiuo feruido membra corporis rarificãtur, & facilius ab eisdẽ exhalat calor naturalis & spiritus: & ideò tunc expedit ad temperandum sanguinem uti fructibus temperatè constringentibus, quales sunt stiptici. Similiter tunc competit usus acetosorum, etiam ad frangendum caliditatis acumen. Siccitas etiam temporis, quæ sæpe uentrem constipat, requirit frequenter æstate & autumno usum ipsorum. Similiter quoque prosunt ad somnum prouocandum, ubi à siccitate temporis impeditur: uel ad sitim compescẽdam, uel æstuationem cordis, et hepatis & orificij stomachi mitigãdam. Quibus omnibus diligenter consideratis, facilè quisque poterit, æstate & autumno usum fructuum moderatè ad regimen sanitatis admittere. Quicunq; uerò ad conseruationem sanitatis intendit, debet hanc regulam obseruare, si quòd nunquam utatur fructibus tam coctis quàm crudis, donec in arbore fuerũt consecutæ perfectam maturitatem: si poßint in arbore maturari, exceptis moris, quibus utendum est priusquàm ex perfecta maturitate nigrescant: quoniam sunt cibus aranearum & muscarum, & sanguinem inficiunt, & ad putredinem præparant, & bubones & carbunculos, & antraces multiplicant: & ideò in regionibus calidis & humidis, anno quo taliũ mororum copiosus est usus, epidimia regnat, nisi per fluxum uentris impediatur. Secunda uerò regula est, quòd abstinendum est à fructibus, quãdocunque multiplicantur in eis uermes, aut interius tabefiũt: quod in uulgari Catalanorum dicitur antacar: & cognoscitur

Fructibus satem maturis utendum.

Moræ maturæ ex toto sunt proscribẽdæ.

Secunda regula.

*ſcitur per hoc, quia fructus non eſt interius naturaliter coloratus, nec habet naturalem medelam: tales enim fructus generant continuas febres, niſi fortè ſuperfluitas eorum per fluxum uentris aut fortem laborem & copioſos ſudores à corpore reſoluantur.*

Tertia regula *Tertia uerò regula præcipit, ne fructus diuerſi ſumantur, ſimul quantumcunq; ſint in naturis ſuis uel effectibus propinqui. Verbi gratia ſi debuerint pruna ſumi ad uentrem mollificandum, non expedit ſimul cum eis ceraſa ſumere: ſed ſufficit quòd hæc uel illa ſumātur in principio refectionis. Similiter quoque tempore, quo ficus & uuæ reperiūtur, non expedit ut ſimul ſumantur, licet utrique proſint ad uentrem mollificandum: ſed ſufficit alterum, & maximè ficus. & ad hoc ut efficaciter mollificent, debet brodium ſuperbibi, uel alius liquor. Sed habentibus hepar & ſtomachum calidum, & cunctis cholericis exiſtentibus, quales ſunt habitatores Africæ & Libyæ, tutius eſt aquam frigidam ſuperbibere, cæteris aūt uinum bene limphatū.*

Vua. *Si uerò debuerit uua ſumi propter uentris ſolutionem, cauendum erit, ne ſumatur in menſa: ſed longè antè, maximè ſi fuerit recens, quoniam non ſolùm generat uentoſitatem, ſed etiam facit ebulitionem, & ideò ſubuertit cibum, & perturbat digeſtionem, & uuis ſumptis, uinum nullo modo ſuperbibatur, ſed brodium tantùm, uel aqua frigida.*

Canon. *Si tamen in menſa debuerint uuæ ſumi, cōuenit ut multis diebus poſt collectionē fuerint ſeruatæ, uel cum aqua feruenti ſuperfundantur primò & ſecundò cum aqua frigida.*

Perſica. *Idem quoque de perſicis &*

ſicis & anteperſicis, comparatis ficubus debet intelligi. Nam perſica ſumuntur interdum in principio prādij ad uentris ſolutionem, ab his maximè, quorũ hepar calidum eſt & ſiccum. Sed non expedit, ut tunc ficus ſumantur, & maximè duratiua, quæ maiori abundant aquoſitate: è contra uerò in his, quorũ uiſcera frigida ſunt & humida, quia plus eis molliora competunt. Et ſi ex prædicta neceſsitate cogantur aliquando duratiua ſumere, prius remolliantur in uino puro, maximè ſi fuerint ipſa die collecta. Nam quæ poſt collectionẽ ſoli biduo uel triduo exponuntur, ſalubrius & ſapidius tunc ſumuntur: ſi tamen habentes uiſcera calida deberent ſumere ficus in notabili quantitate, tunc expediret eis præmittere perſica, uel anteperſica ficus, uel poma bene matura & aromatica, cruda in æſtate, & cocta in hyeme: uel ſaltem eligant ficus muzas, quarum ſapor participat manifeſtam acredinem per naturam. Electiſsimæ ſunt nanque ficus, quarum rubea eſt medulla, & ſapor muzus, & tales competunt maximè iuuenibus, & quorum complexio eſt calida, uel temperata. Prædicta regula ſimiliter locum habet in fructibus, qui ſumuntur ad mitigandum feruorem ſanguinis, ut ſunt cucumeres & melones: uel ad frangendũ acumen choleræ, ut ſunt acetoſi fructus. Nam cucumeres uel melones aut citrullos non conuenit ſimul ſumere: & ſi ſumantur in menſa, parum ex eis debet ſumi, & ex cucumeribus ſola medulla, & ante cibum, iuuenibus dico, & habentibus uiſcera calida. Veruntamen æſtiuis caloribus non incõgruè ſumun-

Electiſsimæ quæ ficus.

Qui fructus ſanguinẽ infrigidant & choleram.

In fine cœnæ sumendi fructus.

tur ab eis in fine cœnæ, ut diaphragmati & superioribus membris æstuantibus, propter præcedentem diei feruorem & ariditatem efficacius mitigiũ præbeatur, maximè cùm somnus debeat subsequi. Et ex hinc patet ratio propter quam & persica & mala granata dulcia plus conferunt sumpta in fine cœnæ cum moderamine, quàm in principio, licet sint fructus aquosi: nam ariditatem & æstuationem superiorum partium efficaciter mitigant, & suauẽ procurant somnum. In his etiam qui acutis & aridis uescuntur in cœna, ut assaturis, obtundunt: fumorum acumen tamen, si longè ante cœnam sumeretur, medulla cucumeris aut melonis ad mitigandum sanguinis feruorem utilius esset. In fine uerò cœnæ sumantur persica, uel mala granata, uel poma electa cruda, uel assata & infrigidata cum modico panis. Acetosi quoque fructus qui sumuntur ad choleram extinguendam seu obtundendam, & excitandum appetitum, longè ante prandium debent sumi, uelut mala granata, uel poma in principio, sicut cerasa acetosa, aut mora imperfectè matura, siue tamen in principio, siue longè antè sumantur, nihil superbibẽdum est, nisi forsitan timeretur in his, qui longè antè sumuntur: quòd eorum acetositas offenderet guttur, & orificium stomachi, uel spiritualia membra: tunc enim expedit parum uel brodij uel uini bene limphati, aut saccari puri immediatè sumere: & ideo tales qui sumpserunt ieiuno acetositatem mali granati aut citri uel limonis, debent cum saccaro sumere. Prædicta similiter regula tenet in fructibus, quę compri-

Fructus aceto si ante prandium.

Super fructus nõ bibẽdum.

comprimunt uel conſtringunt, quia multi ſimul non debēt ſumi. Et ideo ſumptis ſarmenijs, nō debēt ſumi pira, & ſumptis piris, eſt abſtinendū à coctanis, & ſumptis coctanis, ſicut reſpuenda ſorba & meſpila, & è conuerſo. Sed circa fructus comprimentes multa occurrit diuerſitas. Nam quidam comprimunt ſola großitia, atque grauitate ſubſtantiæ, ſicut auellanæ crudæ. Quidam uerò comprimunt per potentiam, quam habent conſtringendi. Et iſtorum comprimentium quidam ſunt, qui debiliter conſtringūt, & uocantur ſtiptica, ut ſarmenia & pira: quædam quæ fortiter, ut coctana & ſorba, & huiuſmodi pontica uocantur. Item iſtorum omnium quædam ſunt aromatica, quædam non: quædam dulcia, quædam non.

Canon.

Diuerſitas cō primentium.

Stiptica.

Pontica.

De comprimentibus igitur datur regula generalis, quòd ſi ſola grauitate compreſſerint, & nullam habeant potentiam conſtringendi uel aggregandi partes membri, cui obuiant, nec aromaticitatem aut dulcedinem habentes, nullo modo debent ſumi, maximè à corporibus temperatis: & ideo auellanæ recentes uitandæ ſunt, licet poßint cibum ſumptum comprimere, quia nec dulcedinem habent, quæ placeat ori ſtomachi: nec aromaticitatem, qua confortent & foueant ſpiritus eius: nec ſtipticitatem aut ponticitatem, qua corroborent aggregando partes ipſius: & ideo generaliter nociuæ ſunt ori ſtomachi, quia ſua grauitate & frigiditate percutiunt, nullum conferēdo iuuamen. Siccæ uerò minus frigidæ ſunt, & ideo minus nocent. Quòd ſi aliquantulum torre-

Auellanæ ſunt uitandæ.

Auellanæ ſiccæ.

antur, minus nocebunt, & acquirunt stipticitatem atque dulcedinem, per quam possunt prodesse, sicut & castaneæ, quando assantur. Nam stipticitas & dulcedo uigorantur in eis, & ideo sumptæ post cibum comprimunt ipsum orificium stomachi, confortando, maximè si in uino aromatico calido immergantur. De cōstringentibus dantur regulæ plures, & prima est, Quòd si sumantur ante cibum, constipant: si uerò post cibum, laxant. Nam quando præcedunt cibum, constringūt partes inferiores, quibus obuiant: & ideo feces ciborum per meatus constrictos difficilius expelluntur. Quando uerò sequuntur cibum, constringunt meatus super feces, & exprimunt eas per partem inferiorem. Secunda regula est, quòd constringentia pontica nunquam sumenda sunt cruda, nisi fuerint cōdita, uel per diuturnam moram ponticitatem amiserint: omnia enim pontica lædunt immoderatè panniculos pectoris, & ideo cotana & pira debent priusquàm sumantur in pingui brodio carnium decoqui, uel in pastillis cum carnibus: aut si magis placeret assari sub prunis, aut in furno, quod melius est, uel coquantur in uino purò. Sed assata, uel in uino puro cocta fortius stringunt, quàm si cum pinguedine carnium coquantur. Sorba uerò & mespila, quæ rarò maturescunt in arbore, per diuturnam moram, post collectionem amittunt ponticitatem: & ideo si tunc prædicta necessitas urgeat, ut sumantur, uel ipsa mespila, quia carēt notabili amaritudine, possunt assari, uel coquātur in mero. Alij uerò fructus pontici, qui condiūtur per condimen-

De castaneis.

De fructibus constringētibus regulæ plures.

Secunda regula.

Pontica lædunt.

De sorbis & mespilis.

dimentum, amittunt nociuam ponticitatem: sicut nuces quæ cum cortice condiuntur, & oliuæ in saxo, & ideo hæc moderatè stringunt, plus tamen oliuæ quàm nuces, quoniam conduntur absq; melle uel saccaro. Et ideo parcius uel rarius debent sumi, quoniam læderent spiritualia. Tertia uerò regula est, quòd constringentia succosa (ut pira) magis congruunt siccis temporibus, ut æstate et autũno, quàm in hyeme. Succo uerò carentia (maximè si fuerint dulcia) in hyeme & uere plus competunt, sicut castaneæ, dactili: habent enim omnes dactili aliquam stipticitatem: sed manifestius est in dactilis insularibus, & Africanis quàm Alexandrinis. Et hyeme & uere, si necessitas urgeat, uti fructibus ad laxandum uentrem conuenienter sumuntur post cibum, sicut de uua passa cũ suis granis, dum tamẽ nihil superbibatur. Et efficacius uenter mollificatur, si ficus siccæ sumantur in principio absque pane. In fine uerò uel dactili uel oliuæ, & post oliuas poterunt absque potu sumi aliquæ uuæ passæ. Sed si fructus succosi magis placerent illis temporibus, uitari debent magis nociui, sicut sunt uuæ brumales, quæ ualde nocẽt renibus, intestinis & uesicæ. Vnde si sumere placuerit in principio refectionis, uẽtris mollitiua succosa, melius est ut pomum aromaticum & infrigidatum sumatur, uel coctum in uino, aut uuæ brumales, maximè albæ sumantur, & abijciantur cortex & grana. Si uerò necessitas urgeret sumere brumales, immergantur prius in aqua feruenti, deinde superfundatur aqua frigida, & parum inde sumatur. Si uerò con-

Nuces conditæ. Oliuæ.

Fructus succosi quando sumendi.

De dactilis.

Vuæ brumales.

Pira cum caseo. *ſtringentia uel comprimentia ſuccoſa in fine placuerit ſumere, ſicut pira, ſumantur cum caſeo ueteri & electo, uel aſſentur, & uino mergantur. Caueant tamen ab eis, qui frequenter patiuntur tortiones aut iuncturarum dolores.* Pira tortiones faciunt. *Vltima uerò cõſideratio, quæ de fructibus eſt habenda, pertinet ad fructus oleaginoſos, ut ſunt amigdalæ, auellanæ, nuces, pineæ, fiſtici, de quibus duæ regulæ dantur: & prima de crudis, ſecunda de conditis. De crudis ſciendũ eſt, quòd omnes offendunt ſtomachum: ſed amigdalæ, & nuces, & fiſtici minus offendunt in ſua recentia & teneritate.* Fructus crudi ſtomachum lædunt. *Auellanæ uerò & pineæ, tunc plus quàm cùm ſunt mediocriter exſiccatæ. Vnde corporibus temperatis, & quorũ complexio ad caliditatem declinat, non expedit his fructibus crudis uti, quia multùm nocere poſſunt, & parum prodeſſe.* Amigdalæ. *Amigdalæ nanque recentes & teneræ, ſuo tempore poſſunt aliqualiter æſtuationem ſtomachi temperare: ſiccæ uerò & remollitæ non proſunt, niſi ad prohibẽdum aſcenſum corporis uini ad caput.* Nuces poſt piſces. *Nuces autem teneræ & induratæ non ſolùm ſtomachum, ſed caput & uiſum offendunt, & ſolùm à uentoſitate & uiſcoſitate piſcium tuentur:* Auellanæ. *auellanæ etiam parum hepar confortant ſua proprietate, ſed ſtomacho nocent & capiti. Pineæ uerò inter cætera grana plus ſtomacho inimicantur, ſed paraliticis conferunt, & habentibus ſcreatus in pectore ſanioſos:* Fiſtici conferunt. *fiſtici uerò efficaciter proſunt hepati frigido & ſtomacho, in cæteris minus offendunt, ſed capiti nocent. Si uerò prædicti fructus cõdiantur cum melle uel ſaccaro ſicut pineatum, mu-*

tum, muscatum, stomacho quidē minus nocebūt: sed tamen prædictis corporibus nō expedit eis uti, præcipuè cùm magis ad uoluptatem condiantur, quàm ad utilitatem.

## DE OLERIBVS ET SVPRA TERram nascentibus. Cap. XII.

Hìc sub oleribus largo nomine comprehenduntur quæcunque nascentia super terram, ex quibus coquina seu ferculū præparatur, siue sint herbæ, ut caules & bletæ, & spinachia, & similia: siue fructus herbarum, ut cucurbitæ, melones, & quæ uulgariter albuginiæ uocantur. De oleribus igitur breuibus est sciendum, quòd nunquam expedit temperato corpori, quòd cruda sumantur, exceptis lactucis & portulacis, temporibus feruidis ad compescendum sanguinis feruorem & æstuationem in stomacho & in hepate: ita quòd aliquando ante cibum cum modico & lymphato aceto sumantur. Amaræ tamen lactucæ sunt omnino uitandæ corporibus temperatis, & quorum complexio ad caliditatem declinat. Fercula tamen possunt ex omnibus istis fieri, exceptis melonibus, quarum usus nullo modo prodest illi. Sed in cæteris cadit distinctio, nam borrago & buglossa domestica propter suum temperamentum omni tempore congruunt, maximè quibus uenter est constipatus, quibus ad tollendam asperitatem possunt adiūgi spinachia, & bleti tenerrimi & non rubei. Et in æstate lactucæ & portulacæ, uel etiam attriplices & bletæ. In hyeme uerò cressones, petroselinum, et pauca folia menthæ, uel oculi caulium

Cruda olera nemini cōueniunt, excepta lactuca.

Lactuca amara nocet.

Borrago & buglossa.

*Spinachia possunt sumi omni tẽpore.* alborum. Spinachia uerò & bleti supradicti, quia uicinantur temperamento, possunt mixtim uel separatim sumi qualibet parte anni, &c. quæ tempori congruunt adiungi. *Fructus æstiuales.* Æstate enim congruũt lactucæ dulces & portulacæ, & bletæ atriplices & cucurbitæ. *Hyemales.* Hyeme uerò cressones & urtica tenera, & petroselinum, & caules rubei, aut crispi, & uirides. Albi uerò, quorum costa est lata, & folium lene, maximè si creuerint in solo arido & umbroso, utiliter sumuntur interdum in æstate & autumno, abiectis magnis, & extremis folijs, & oculis præparatis. In uere uerò teneritas spargorum potest adiungi, uel per se præparari, postquã fuerint præbulliti. *In præfatis tria obseruanda.* In usu tamen prædictorũ tria conuenit obseruare: primùm est, ut cùm spicata fuerint, respuantur. Secũdum est, ne cum lacte animalium condiantur, quoniam nimia fumositate læderent corpora supradicta, sed temperata uel calida, sed cum brodio carnium, maximè gallinarum, aut cum lacte amigdalarum uel oleo dulci, potißimùm recenti. *Canon de cucurbitis.* In cucurbitis uerò specialiter conuenit obseruare, ut pro lacte animalium ponatur lac amigdalarum, ne renibus noceant aut uesicæ, similiter ne noceant intestinis, conuenit eis aliquas cepas albas & rotundas adiungere. Sed ut non obsint stomacho, debent eis adiungi oculi caulium, uel in scutella conspergi cum cinamomo. Tertiũ est, quòd ante omnia fercula debẽt sumi, exceptis caulibus, qui in fine sumi possunt propter stipticitatem quam habent, maximè crispi, uirides, & rubei. *Caules in fine sumantur.* Si tamen sumatur tantùm eorum brodium, conuenit ut primò

sumatur

sumatur propter uim, quam habet aperitiuam, uel brodium cicerum suprà dictum. Nam propter eorum repugnantiam uexatur stomachus, & impeditur digestio, si sumatur simul, scilicet substantia cicerum & prædictorum caulium, et brodium ipsorum. Quamobrem expedit ad uitandū hoc inconueniens, quòd antè præbulliantur, & postmodum coquantur cum prædictis, aut feruenti aqua diu superfundantur, antequàm coquātur usque ad densitatem, ad hoc ut brodium resoluatur, uel quòd brodiū in principio sumatur & in fine substantia.

## DE RADICIBVS QVIBVS VTImur. Cap. XIII.

Radices quibus utimur, communiter sunt porri, cepe, allia, raphanus, napi, rapæ, pastinacæ & cheruiuæ, & à quatuor primis debent omnia corpora temperata & calida penitus abstinere, maximè si fuerint cruda: sed in algoribus hyemis possunt interdum fercula fieri ex porris aut cepis, patientibus tamen fluentes hæmorrhoidas atque pulsantes, conuenit superuitare porros & allia, & raphanum et cepas longas, quæ uulgariter dicuntur ascaloniæ, & similiter rotundas, si fuerint rubeæ: sed si fuerint albæ, potest ex eis præbullitis fieri cepullatū cum carnibus, aut dulci oleo, & sic sumi, & debet eis lac amigdalarum semper adiungi. Et quia tale ferculum uentrem molliat, debet ante fercula omnia sumi. Rapæ uerò dulces et napi tenerrimi, si cum carnibus coquantur, & absque melle & pipere & cimino & carui, congruunt prædictis corporibus, & etiā dato

Radices quæ usuales.

Ascalonia quid.

Cepullatum quid.

Rapæ.

quòd nullo ſapore condiantur. Si tamen placuerit, ſufficit ut coquantur cum gariophilis cõquaſſatis uel cum zinzibere, & croco, & cinamomo: uentrem enim mollificant, & uias urinales mundificant, & ui ſui proſunt. Paſtinacæ quoque ſi fuerint albæ, poterunt eſſe uel coctæ, & cum carnibus aliquando ſumi, quoniam eadem iuuamina præbent uijs urinalibus, ut prædictæ radices. Cheruiuiæ uerò poſſunt à prædictis corporibus hyeme & uere ſumi, ſi moderatè aſſentur. Tamen ſi caput & pulmonem uel pectus rheumatiſmis uexarentur, non ſumerẽtur, quoniam nocent humido pulmoni.

Paſtinacæ.

Cheruiuiæ.

## DE ALIMENTIS QVÆ SVMVNtur ex animalibus. Cap. XIIII.

Alimenta quæ ſumũtur ex animalibus, aut ſumuntur ex eorum ſubſtantia, ut ex membris, uel ex humiditatibus eorundem, ſicut ex lacte & ouis. Animalia quoque uel greßibilia ſunt, ut quadrupedes, & aues: uel natalia, ut piſces: greßibilia uerò, uel domeſtica ſunt, uel ſylueſtria, & tam de his quàm de illis ſemper ea ſumenda ſunt in alimentum, quæ uiciniora ſunt temperamento, uel quæ magis congruũt qualitatibus temporis. Vnde gallina, quæ parere incipit, & capo uel ſex uel ſeptem aut octo menſium, & pauo unius anni uel ſedecim menſium. Amplius & cuniculus quatuor aut ſex menſium: & capreolus decem uel duodecim menſium, dummodo ſint in ſuo genere mediocriter pingues, conuenienter poſſunt ſumi in qualibet parte anni. Et ſimiliter congruunt omni tempore corporibus temperatis, aut calidis.

calidis. Carnes hœduli lactantis aut uituli si possent haberi, qualibet parte anni. Sed pulli gallinarum & anserum quandiu pipticantur, & carnes recentes porci & porcelli magis congruunt in æstate & autumno: pulli quoque perdicum eodem tempore congruunt: sed quia solùm in autumno reperiuntur, sicut & iuuenes coturnices & turtures, & ideo tamen magis congruunt, sicut & pulli columbini. Sed gallinæ ueteres, & agrones & grues, & pauones ueteres, & perdices, & cuniculi annuales, & lepores & anseres, & carnes bidentis, arietis et castrati, & auiculæ quæ capiuntur in breto & palumbi, & phasiani, & turdones, & gallinacea magis in hyeme congruunt. Et similiter carnes salsæ, & quæcunque sunt diuersæ digestionis, ut uaccinæ & aprinæ. Sed quæ de facili digeruntur propter laxitatem & raritatem, & tamen sunt frigidæ & siccæ complexionis, ut carnes cerui & capreoli quocunq; tempore fuerint, animalis bonæ habitudinis possunt sumi. Anates uerò & fulsæ, magis in autumno conueniunt: sed corporibus temperatis nunquam expedit uel fulsis uti. Eis etiam, quos hæmorrhoides crebrò uexant, & potißimùm pulsantes, expedit ut diligenter euitent grues, & agrones, & anseres ueteres, pauones, turdos, merulas, sturnellos, turtures, cadones, & cothurnices. Hic tamen corporibus maior uis facienda est in artificio præparandi carnes prædictas. Debent enim gallinæ post occisionem euiscerari, & suspendi à manè usque ad serò, uel è contrario priusquam coquantur: perdices uerò ueteres & cuniculi

Qui hæmorrhoidis laborant, abstineant.

Quomodo carnes præparandæ.

niculi, debent ad minus per diem naturalem post occisionem reseruari. Grues uerò & phasiani biduò in æstate, & in hyeme triduò: pauo uerò omni tempore debet seruari post occisionem duobus diebus: etsi plusquā annum habuerit, tribus ad minus. Debent frequentari magis carnes elixæ, uel coctæ in pastillis quàm assæ. Frixas autem debent omnino uitare, similiter uitabunt cuniculos assos & omnes auiculas, quæ capiuntur in breto, uel similes assas, & in æstate mutonem assum. Et omnis assatiua sumatur in fine præter assaturam porci uel hœduli: porcellus etiam assus uitandus est, sed de condito insulso tempore æstiuo potest aliquādo sumi. Est etiam obseruandum in omni assatura, ut specialiter in perdicibus ne arescant, nam si aruerint in proposito, sunt nociuæ. Quod enim de assaturis fuerit in superficie torridū, semper in proposito est uitandū, & ideo cutis & etiam pinguedo assaturæ porci debent uitari. Fercula uerò, quæ fiunt ex carnibus comminutis, & cum pinguedine colligatis atque densitas, & mortalium carnes uitandæ sunt, & potißimùm in proposito. Sed alba comestio de pullis gallinarum poterit frequentari, dum tamen non fiat de pulpis esilatis, sed ex transuerso graciliter incisis, & postmodum contritis, & ligatis cum lacte amigdalarum tantummodò: uel si amidum uel farima rizi iungātur, quod sit ualde modicum, membrorum etiam diuersitas debet attēdi. Nam licet parietes uiciniores cordi sunt puriores, propter beneficium copiosum caloris naturalis, quod ab ipso recipiunt, ipsum tamen cor uia cibi

Caro frixa nocet.

Omnis assatura ad finem mensæ.

Pulpa gallinę ualet.

cibi non competit temperatis, atque cholericis, uel [Cor nō competit.] habentibus debilem digestiuam, cùm sit duræ digestionis, & grossum generans sanguinē. Hepar quoque debet similiter uitari, maximè si fuerit perfectè [Neque hepar] coctum, quoniam constipat & terreum ac melancholicum generat sanguimem. Solum autem hepar hœduli competit interdum prædictis, dum tamē moderatè sit assum. Et similiter cerebrum ipsius tantummodo non sit perfectè assum. Cor autem cerui, [Cor cerui & cerebrum leporis tyriacæ participes.] & cerebrum leporis, aut cuniculi si sumantur, prosunt propter uirtutem tyriacalem: sed cæterorum quadrupedum cerebra, & cunctorum animalium intestina, & stomachus & renes & splen debent uitari præter stomachum gallinarum & anserum, & gruis. Extrema uerò sunt aures & rostra, & pedes [Intestina & extrema non ualent.] quadrupedum, ex paucis animalibus debēt in usum aliquando sumi à prædictis, sicut ex porco uel hœdulo. Nam cholericis prodest usus ipsarum, & temperatis in feruido tempore, maximè si condiantur in sulso. Et idem de pulmone debet intelligi, dum ta- [Pulmo.] men de hœdulo accipiatur: nam aliorum animalium pulmones sunt eis inutiles. Lingua uerò ex uitulo uel [Lingua uituli & cerui bona.] ceruo tātùm accipiatur. Vbera semper uitentur, ni- [Vber.] si deberent cum fame sumi, & absq; alijs ferculis.

## DE FERCVLIS, QVÆ SVMVNTUR ex humiditatibus animalium.

### Cap. XV.

Humiditates uerò animalium, quæ communiter sumuntur in alimentum, sunt lac armentorum, & oua gallinarum, & ea quæ fiunt ex lacte. Sanguis e-

nim

Nota nostratium errorum enim nullius animalis congruit alimento, præcipuè corporibus temperatæ complexionis aut calidæ. In

Oua. proposito uerò salubris est usus ouorum recentium fractorum in aqua, & semper mollium, ex quibus à medio autumni usque ad medium ueris sufficit uitellum accipere. Reliquo uerò tempore potest albumen accipi cum uitello. Si uerò placet sumere aliter præparata, cauendum est ne sumantur cocta in

Nota. uentribus gallinarum aut inuoluta, aut frixa, & semper mollia. Si autem sint assa, sint quoq; mollia.

Lac. Lactis usus omnino uitetur, præter quàm à medio Aprilis usque ad finem Maij: nam in illo spacio proderit lac caprinum saltem sumere per quindenam, & maximè sumere in prima quindena Maij. Sumatur autem, sicut egreditur ab uberibus in ieiunio, depositis superfluitatibus, et præmisso aliquali exercitio, dum tamen nullus extraneus sapor in ore percipiatur, aut tenebrositas in oculis, aut dolor in capite: sitq; men-

Mensura lactis gustandi. sura mediocris, scilicet continēs mediam libram, uel ad plus ℥ viiij, aut x. Post eius sumptionem tam diu tardabitur prandium, donec manifestius aduenerit

Butyrum & serum. appetitus. Interea uerò quæ sint ex lacte, butyrum specialiter & serum, sunt à prædictis corporibus euitanda. Si tamen placeret aliquando in hyeme sumere butyrum, timendum est ne sit rancidum, aut nimis salsum, & quòd in modica quantitate sumatur: quòd si fuerit melle conditum, erit melius ad sumendum crudum. Serum autem recens, & maximè caprinum, bullitum & colatum: esset perutile frequenter à medio Maij usque ad finem Iulij uel Augusti, su-

pra di-

pra dicta hora & quantitate. Caseus uerò si fuerit uaccinus, et butyrosus & dulcis, poterit frequentari assus, uel elixus autumno & hyeme: minus autē pinguis, & nondum rancidus, nec minus salsus poterit interdum in fine refectionis in modica quantitate sumi. Multum enim non expedit, nec est tutum, nisi cum cucurbitis aut herbolato facto ex boraginibus & spinachijs et atriplicibus, sumeretur & rarò. Casei uerò quicunque fuerint cum coagulo facti, debēt à prædictis corporibus uitari. Sed lac cum flore coagulatum, potest æstiuis feruoribus aliquando sumi ad æstuationem stomachi compescendam, et hoc tantùm in principio cœnæ: dum tamen potus uini non sequeretur immediatè. Simili quoque ratione potest tunc temporis caseus recens in fine sumi, si deessent fructus superius nominati.

Caseus. De lacte coagulato. Caseus recēs.

## DE VSV PISCIVM. Cap. XVI.

Pisces quicunque fuerint lacunales uitandi sunt, nisi constaret lacum esse limpidißimū, in profundo uel saxosum, uel calculosum seu arenosum: & maximè quod ex transitu magni fluminis crearetur, uel ex magna scaturigine, aut ex magno & frequēti refluxu maris. Similiter sunt uitandi, qui sunt in riuulis lentè fluentibus, & potißimùm si receperint ebullitiones canabi, aut lini, aut putridarum herbarum, uel limositates coriorum, aut condimenta ipsorum, uel cæteras superfluitates ciuitatum, uillarum aut oppidorum. Et undecunque fuerint, hoc est marini, seu fluuiales, uel lacunales, attendendum est principaliter quòd habeant substantiam puram, quæ nec sit in odo-

Pisces qui uitandi.

in odore grauis, nec in sapore, nec in tactu, & in separatione limosa: & eorum qui puram habent hoc modo substantiam, semper existunt salubriores, qui pulpam habent candidam ut argentum, & inter hos etiam squamosi prae ferendi sunt: tamen si squamis caruerint, saltem obseruandum erit, ut substantia sit talis, qualis est dicta. Erit etiam cauendum, ne pisces magni & durae pellis, ut rex, et delphinus & sturgio & similes comedātur recentes capti: sed tanto tempore piscis reseruetur, & singulariter euisceratus, quod absq; corruptione substantiae tenerescat. Debent autem praedictis corporibus pisces recentes utplurimùm assari, uel elixari: sed assatura magis est frequētanda in hyeme quàm in aestate, siue in furno, siue in prunis assentur. Elixatura uerò aestati, sed illa quae fit cum uino albo conuenit omni tempore. Est etiam obseruandum, ne in assando pisces oleo liniantur: sed uino in quo sal fuerit dissolutum. Si uerò fricantur, aut multo oleo liniantur, dum assantur, non expedit sumere cutem: nam uniuersaliter cutis piscium est uitāda, & ipsorū axungia. Pisces autem perfectè salsi, & maximè prae salsedine arefacti non congruunt temperatis corporibus, sed brodium simplex cōgruit sumptum interdū: & praecipuè in quadragesima, quando frequentantur opilatiua, fit utile in principio mensae, quia aperit meatus & mundificat. Sed ex substantia uel nihil sumatur, uel parum, & rarò, & circa finem refectionis. Si uerò piscis perfectè salsus fuerit, lardosus, ut tunina, uel balena, poterit in quadragesima parum aliquando sumi cum spinachijs,

Pulpa candida ualet.

Pisces magni mali.

Assatura in hyeme.

Elixatura aestate.

De piscibus.

ſpinachijs in principio, quandocunq; neceßitas occurrerit conſtipationem ſoluendi. Sed ex piſcibus ſemi ſalſis, & maximè pinguibus, elixatis, largius poteſt ſumi. Nam piſces pingues & großi, qui biduo uel triduo fuerint ſale conditi, ſi elixentur, ſapidius & ſalubrius comedentur.

## DE SAPORIBVS. Cap. XVII.

De ſaporibus & condimētis conuenit ſcire, quòd nunquam prædictis corporibus acuta conueniunt. Et ideo fortia ſalſamenta, ut piperatas, & alliatas, & acutos ſapores, ut ſinapi & eruca eis expedit, ut euitent: niſi taliter poſſent reprimi, quòd eorum nocumentum non timeretur, ſicut eruca reprimitur, (Correctio erucæ.) quando paſtillum eius diu in aqua ſimplici coquitur, quando ſcilicet coquerentur uaccinæ carnes: deinde piſtata cum paucis amigdalis diſtemperetur cum pauco aceto, nihil aliud adiungendo, niſi forſi tam modicum cinamomi. Mel autem uitare debent (Mel.) corpora ſupradicta, & multum etiam uſum ſaccari. (Saccarum.) Et memorandum eſt, quòd ualde dulcia & acuta, aſſa & ſalſa, patientibus hæmorrhoidas pulſantes inimicantur. Et ideo non expedit eis, ut confectiones & ſalſamenta frequentent, & maximè ſi fierent ex pipere, uel cum multo zinzibere, uel galanga, aut nuce muſcata, uel gariophilis, aut etiam multo aceto. Sed ut error omnis poßit euitari, in uſu habeatur hic ſequens puluis, (Deſcriptio pulueris.) Recipe zinzibe. albiß. ℥ ij coriand. præparati ſeu ebulliti in aceto & exſiccati. ℥ j. cardamomi, been albi ana ʒ ß. raſuræ eboris lot. ʒ ij. gariofil, croci, ana ʒ j. cinamomi electi ʒ vj

fiat puluis, & de ipso cum amigdalis pistatis fiat salsamentum: cui modicum agresti uel aceti poterit addi. De ipso etiam in moderata quantitate condiantur pastilli, quibus per totam æstatem etiam adponatur, cùm de furno extrahuntur. Lac amigdalarum factum cum agresta, uel cum succo malorum granatorum, aut limonum, aut citrangulorum: tales enim sapores acetosi facti cum amigdalis, raro, aut nunquam possunt lædere spiritualia. Potes etiam istarũ acetositatum, quæ ponuntur in pastillis caueri offensa, si totum ouum cum eis fortiter agitetur: & postmodum pastillis imponatur, cùm fuerint extracti de furno. Similiter quoque si lacte amigdalarum facto, cum prædictis acetositatibus assaturæ conspergantur, semper minus nocebunt. Sed si placuerit æstiuis feruoribus uti ad saporem simplici acetositate, cauendum est, ne nimium succus limonum frequentetur, quoniam ualde neruis & neruosis membris inimicatur. Acetositas uerò citranguli, quia uicinior est temperamento, est minoris læsio. Et in his etiam fructibus debet obseruari regula suprà dicta, scilicet ut non sumantur in usum, donec in arbore maturuerint. Limo enim tunc perfectè maturuit, cùm amisit omnino corticis duritiem seu uiriditatem. Citrangulus autem ad sui perfectam maturitatem debet per annum integrum in arbore seruari. Omnibus autem acetositatibus melior est, quæ sumitur ex coralo granata muzo, anni præteriti, tum quia debilior, tum quia modicum habet stipticitatis, qua potest confortare stomachum, & membra interiora. Et hac etiam

Succus limonum neruis obest.

Limo quomodo maturus.

Citranguli.

tiam ratione præ cæteris commendatur agresta, quæ fit ex teneritatibus uitiúm. Cum assaturis tamen auium æstiuo tempore sufficit ad saporem, ut conquassentur in mixtura uini, & multo aquæ rosaceæ, cum modico salis. Assaturis autem quadrupedum si placuerit alium saporem à sole coniungere, sufficit eruca prædicto modo præparata, uel salsamētū uiride factū solūmodo cū aceto & amigdalis, & petroselino, & modico mēthæ uel cinamomū. Sed in proposito potest ex cinamomo electo, & amigdalis & aceto sapor fieri conueniēs, assaturis nō solùm quadrupedum, sed etiam pisciū, & in hyeme potest addi modicum zinziberis, si consuetudo requirat uti sapore: quod ideo dicitur, quia corpora temperata non indigent alieno sapore. Nam cum appetitu regulato semper ab eis sumitur alimentum, & ideo nisi qualitates alimentorum uel temporum ab æqualitate recesserint, non indigent mendicato sapore, nisi sale tantummodo. Sed consuetudo naturæ semper imponit necessitatem, teste Hippocrate. dandum est aliquid consuetudini, & aliquid naturæ corporis, & aliquid tempori.

Agresta ex capreolis.

Ad quadrupedem assaturas.

Communis sapor.

Nota.

## DE VSV POTVS. Cap. XVIII.

De potibus uerò sciēdum est, quòd ea quæ bibuntur à sanis corporibus, communiter aut sumuntur tantùm in ratione potus, aut in ratione tantummodo medicinæ præseruatiuæ, uel in ratione potus & medicinæ. In ratione potus sumitur omnis liquor sumptus ad extinguendam sitim causatam à cibo, & ad reddendum ipsum moderatè fluxibilem: sicut bi-

Potus trifariàm.

Potus quid.

*bitur uinum uel aqua in hora refectionis. De uino igitur quale conueniat in proposito, & quando debeat sumi, dictum est suprà in generalibus. In ratione uerò medicinæ sumitur tantùm, quando in æstate bibitur alius liquor, ad mitigandum æstuationem membrorum interiorum: qua intentione bibitur tũc à pluribus in feruore diei iulep, & est syrupus factus ex aqua rosacea tãtùm, & pane saccari: qui syrupus est tunc temporis ualde utilis, etiam temperatis corporibus, quando præ feruore temporis æstuant, & adhuc magis utilis habentibus complexionem naturaliter calidam, specialiter in hepate, & in corde: bibitus enim cum aqua frigida non solùm infrigidat, sed humectat, & etiam confortat. Simili quoque ratione habentibus stomachum siccum, & intestina specialibus, conuenit tunc temporis bibere syrupum uiolaceum modo prædicto. Quibus uerò sunt humida, syrupum rosaceum (sicut his, quorum cerebrum siccum est) conuenit, propter æstuationem interiorum membrorum, tunc temporis bibere syrupum nenupharinum. Eadem etiam ratione bibunt tunc temporis aquam hordei, quorum complexio totius declinat ad siccitatem. Sed cauernosis & habentibus uiscera naturaliter calida, sufficit tũc temporis propter æstuationem interiorum aquam puram frigidam bibere, quæ sit de fonte uiuo, & de laudabili puteo uel cisterna: pinguibus tamen & opilatis, & strictos habentibus meatus interiores, conuenit addere parum aceti. Sed in proposito si prædicta necessitas urgeret interdum bibere ipsam, dissolua-*

Iulep humectat, infrigidat & cõfortat.

Ad quid syrupus nenupharinus.

Aqua hordei.

dissoluatur in ea prius saccarum rosaceum factum de puro & albissimo pane. Quapropter ipsum tunc debet potari, & maximè in diebus canicularibus. Et etiam iulep sit factum, scilicet quòd ad unam libram panis saccari, ponantur tres libræ de aqua rosacea. Nec supra ignem stare permittatur, nisi quantùm ad clarificationem sufficit: ita quòd ad plus non consumatur de aqua rosacea, nisi tertia pars. In ratione uerò potus & medicinæ sumitur, sicut quando in feruoribus æstatis, post somnum diurnum sitiunt, & æstuant uera siti, qui bene in prandio fuerunt refecti: nam talibus tunc temporis expedit uia potus & medicinæ bibere aquam frigidam, uel uinum bene lymphatum conuenit. Sed in algoribus hyemis, & interdum in quadragesima sumitur uia medicinæ solummodo nectar, siue claretum in fine refectionis, scilicet ad hoc ut os stomachi calefaciat, & digestionem confortet, & ideo sumitur, ut plurimùm cum eo quod circa regionem orificij stomachi plus retinet ipsum, sicut cum nebulis, quæ sua uiscositate adhærent, uel habentes ipsum humidum cum pane aliquantulum torrefacto. Sed in proposito non est necessarius nectaris usus, quia conficitur ex duobus habentibus acumen, & inflammantibus scilicet speciebus, & uino & tertio inflammibili, quod est dulce scilicet mel aut saccarum: propterea si ratione temporis aut consuetudinis eo placuerit, uti parce sumatur, & semper fiat ex puluere sequenti. Recipe cinamomi electissimi ℥ j. zinziberis ℥ s. rosa. rub. carioph. sandal. rub. ana ℥ ij. pi-

Modus conficiendi iulep.

Post somnum diurnum iulep bibẽdum

Claretũ quando bibẽdum.

lorum spicæ nardi ℥j fiat puluis, qui sufficit in proposito ad triginta libras uini, addito melle uel saccaro quantum sufficit pulueribus incorporandis. Et ad plus sufficit quartum unum mellis spumati, aut media libra saccari dissoluti cum modico uino, tamen cum melle diutius & melius conseruetur.

FINIS.

OMNIVM QVÆ HIC CONTINENTVR INDEX.

Caulis


Lingua

Persicum

Thora-

FINIS.

BASILEÆ, PER HENRICVM PETRI, ANNO M. D. LXI.



A

De gemmis et aliis [illegible]

[illegible] Ferrali

Descriptio fontium

[illegible]

Bona [illegible]

[illegible]

Sanitatis [illegible]

[illegible]

De diversis [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

De [illegible] natura [illegible]

[illegible]

[illegible]

De [illegible]

[illegible]

Tractatus